DE SS. RELIQVIARVM CVLTV, VENERATIONE, AC MIRACVLIS

LIBRI V.

NON SOLVM AD CONCIONATORVM
vtilitatem, sed etiam ad singulorum pietatem iucundâ varietate excitandam conscripti.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AVCTORE
R. P. F. CAROLO STENGELIO, ORD. S. BEN. MON. SS. VDALRICI ET AFRÆ AVGVstæ Vind. Professo.

INGOLSTADII,
Typis GREGORII HAENLIN.

ANNO CIↃ IↃC.XXIV.

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO ET AMPLISSIMO IN CHRISTO PAtri ac Domino D. Balthasaro Celeberrimi Monasterij S. Crucis VVerdeæ Sueuicæ Abbati dignissimo.

F. CAROLVS STENGELIVS F.P.

ÆSYMNO *cuidam Megarensi, dum super Rep. bene feliciterque administranda consultat,* ADMODVM REVERENDE & AMPLISSIME PRAESVL, *respondisse aliquando oraculum memorat in Atticis Pausanias,* REFERRET AD MVLTOS, *si quid gerere cum bona fortuna Diuisque benè iuuantibus vellet. Quæsitum est diu inter Megarenses quænam oraculi mens, quod consilium esset, tandemq́; cum plures mortuos, quam viuos arbitrarentur, eam ipsam ob caussam, comitia Megarenses ad heroum sepulchra celebrauere. Ibi vtique vel rerum pereuntium memoria,*

vel futurarum metu, vel præclaræ virtutis exemplo de ipsis etiamnum sepulchris heroum spirante ad altißima consilia sunt excitati. Neque enim heroum vllam futuram memoriam conspiciebant, nisi illi & pereuntia contempsissent, & futura timuissent, & virtutis exempla posteris reliquissent.

Existimo equidem & ego hodie præclare cum Rep. tam ciuili quam Ecclesiastica actum iri, si idem consilium omnes sequerentur, hoc est, si Catholici accuratius obseruarent, hæretici autem non tam proterue contemnerent. Vtinam enim negotia sua ad plures referrent: *vtinam audirent quid mortuorum sacra ossa, quid Diuorum heroum beati cineres, quid muti antiquißimorum monumentorum lapides, quid vetustißimarum basilicarum clament marmora; profectò de rebus cælestibus longè sanctius religiosiusq; sentirent, immo plane Catholice Romaneq; sentirent. Neque enim tantum pro nostra stant parte, quorum sacra illa sunt ossa, sed ipsa etiam sepulchra, ipsa templa oßibus sanctis colendis splendidissimè exædificata, cultum quendam sanctis, eorumq; Reliquiis ab antiqua Ecclesia exhibitum esse testificantur. Itaq; vt ossa quondam defuncti Prophetæ mortuum ad vitam reuo-*

cauerunt, sic inspecta penitius hæc ipsa Diuorum sepulchra, eorumq; Reliquiæ mira quotidie patrantes, quàm plurimos ad Ecclesiam reuocauerunt. Qua de re ego hoc opere aliquid tractare cogitaui, vt eo ipso Reliquias colerem, si de earum cultu nonnihil disputarem.

Tibi verò, Amplißime Præsul, quicquid est laboris in hunc librum impensum consecro, dedicoq;, non solum quia antiqua me beneuolentia complexus es, aut quia velut singulare Ordinis nostri sidus effulsisti, sed etiam quia inter eos mihi merito es numerandus, qui sacris lipsanothecis Diuorumque cineribus magnos honores impenderunt, eosq; insigniter in Germania propagarunt. Vt enim de salutifera Seruatoris nostri cruce, quæ apud Te asseruatur & colitur, nihil dicam, cuius Tu velut imagines quasdam ex oricalcho expressas, & contactu ipso consecratas longè lateq; dispensas, cum magno miraculorum prouentu, certè vsque adeo Tua se pietas Diuis impendit, vt vel propria Tua manu nonnullarum imaginum in hunc librum referendarum feceris adumbrationem: quas tamen is ipse qui petijt, sumptibus deterritus postea omisit. Meruit ergo manus religiosißima pingendo, vt acciperet, imo reciperet, quod ego elaboraui scriben-

 do. Va-

bo. Vale, & diu Ordini nostro, cœnobioq; tuo superstes viue. Augustæ Vindelicorum Anno M.DC.XXIV.12.Augusti.

FACVLTAS.

Tractatum hunc de SS. Reliquiarum cultu, Veneratione ac Miraculis per R. P. F. Carolum Stengelium conſcriptum, & à deſtinatis Arbitris approbatum, cum multi laboris ac lectionis opus ſit, nec quidquam contineat, quod cũ fide Catholica pugnet, Ego Petrus Epiſcopus Adramyttenus Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis ac Domini, Domini Henrici Epiſcopi Auguſtani &c. in Pontificalibus & ſpiritualibus Vicarius generalis &c. auctoritate eiuſdem Reuerendiſſimi Domini Ordinarij in lucem prodire permitto, typiſque eum mandandi facultatem concedo.

In cuius rei fidem haſce manu mea ſubſcriptas & ſigillo officij mei munitas dedi. Auguſtæ die 2. Octobris Anno Domini 1623.

Locus ſigilli

Petrus Epiſcopus Adramytt.
Suffraganeus & Vicarius
generalis.

AP-

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICÆ Ingolstadiensis.

Præsens de sanctorum reliquijs opus à R.P.F. Carolo Stengelio Ord. S. Benedicti eruditissimè conscriptum iure optimo lucem aspiciet. Siue enim ipsas Reliquias Sanctorum spectemus; merito à docto calamo iam illustrantur, quæ aliquando *fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum*. Siue Catholicos; hinc acuent se, vt in auito sacrarum Reliquiarum cultu persistant: Siue denique nostri sæculi *Vigilantios* earundem osores; extabit, *quod eorum insanum cerebrum vel sanet aliquando, vel deleat*. Ingolstadij XXII. Aug. M. DC. XXIV.

Matth. 13. 43.

S. Hieron. ep. 53. contra Vigilantium.

Oswaldus Coscanus Soc. IESV
S. Th. D. Professor & pro tempore Decanus.

LIBER I.

CAPUT I.

OPERIS ARGUMENTUM, ET PARTITIO.

SAcrarum Reliquiarum religiosum cultum, quem Ecclesia Catholica, Romana, & Apostolica, non solum Sanctorum ossibus, sed & vestibus, calceis, & alijs eorum supellectilibus semper exhibere consueuit, non licitum modo, sed pium, atque consensu Maiorum solicite, constanterq; obseruatum, vtq; rectum, ac sincerum approbatum miraculis, omnibusq; seculis ab ipsius exorientis Ecclesiæ incunabulis ad amussim vsurpatum, non auctoritate tantum SS. Patrum, verum etiam exemplis certissimisque historijs monstrare fert animus; ea potissimum ratione ad scribendum impulsus, quod hoc nostro seculo complures reperiantur homines, si modo ea appellatione censendi, qui non animabus modo beatorum cæli ciuium detrahi cultum velint, sed & eorum corporibus bellum indicant.

Quid auctorem ad scribendum impulerit.

Horreo eloqui, quot Sanctorum Reliquias vento, flumini, igni dederint; quoties veluti in ludibrium membra seruata, de auro, de gemmis, quibus condita

dita erant, ad contumelias eruerint. Ingemiſcet de iactura poſteritas, nos erubeſcimus ad ſecùli noſtri labem. Nam quo illa impietas, niſi quod Dæmones qui hæreſim excitarunt, *Reliquiarum* ſanctitatem ad quas ſæpe vexati ſunt, non minus odere, quam Antiochenus Apollo Babylæ martyris oſſa, in quorum vicinia oracula edere vetabatur.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Nos verò cum Eccleſiâ, atque Pſalmiſtâ, concinimus (a) *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui* DEVS. Felicitatem eorum admiramur, opem expoſcimus; honorem illis habemus, quos etſi non videmus, at eſſe tamen ſcimus, & eſſe felices DEO iunctos, DEI amicos, in tutiſsimâ immortalitate triumphantes. Veſtes, aut ſudaria ſanctis applicamus corporibus, & opem ex illo contactu tam benignè experimur, quàm ſanctè poſcimus: ipſum Deum in ſeruis Dei honorantes. Qui enim dicit (b) *quā diu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*: vtique idem etiam de beatis dicet, quorum reſpectu, vtpote extra omnem periculi aleam poſitorum, ſancti in hac vita inter quotidianas adhuc pugnas verſantes, *minimi* haud immeritò appellantur.

(a) Pſal. 138. *Catholicorū erga Dei ſanctos reuerentia.*

(b) Matth. 25. 40.

Sanè non eſt putandum, temerè illud à CHRISTO Domino dictum, ad omnes

(c) *Matth.* 10. & *Luc.* 12.

fui sectatores: (c) *Capillus de capite vestro non peribit, & omnes capilli capitis vestri numerati sunt, nolite timere.* Et rursus alibi à Vate:

(d) *Psal.* 33.

(d) *Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* Quæ quamuis omninò ad exitum perducentur diuinitus, cùm resurgemus vniuersi, tamen ad hæc etiam tempora aliqua ex parte pertinere, quantum ad sanctos: & euentus rerum multarum declarat, vt apparebit: & ipsa verborum significatio generalis ostendit: alioquin tam boni, quàm mali resurgent, & singulis nihil peribit. Mirum namque, ac non nisi diuinum, nonnullorum vatum, qui ante annorum tria millia migrarunt è vitâ, ad nos corpora peruenisse: & tot Apostolorum, Martyrumque & Sanctorum, quorum memoriam conati sunt cunctis viribus abolere Imperatores, Reges impij, vniuersæque gentes, tanto cum honore reliquias conseruatas fuisse.

Descriptio & ordo dicẽdorum.

Lib. 1. *cap.* 3.

Vt ergò ordine procedamus, hæc demonstranda erunt: nimirum in prima parte, nihil à nobis in RELIQVIARVM cultu, contra antiquissimæ morem Ecclesiæ committi.

Cap. 4. & 5.

Si Sanctorum *Reliquiæ* à sede aliquâ deferantur in aliam, rectè Psalmis, ac Canticis compita celebrari; eamque rem con-

concursu populi, veneratione cernentium, insignique pietate peragi.

Sudaria nostra, ac vestes solidâ pietate nos applicare, ad vasa, vel feretrum, 6.
in quo sancta hæc ossa iacent; vnde ad nos permanat insinuata salubritas.

Eorum corpora, atque ossa, in partes diuidi, vt plures sint tam piæ felicitatis, 7.
opisque participes.

Eas *Reliquias* in templis, & sub altaribus condi, ex quibus sacrosancta victima 8.
dispensatur; vel precioso metallo, gem- 9.
misque laudabiliter concredi.

Ad eas sæpe nos ire, DEVM exoraturos per hæc pignora suorum amicorum, 10.
vel ipsis etiam loquuturos, quorum membra aspicimus.

Catholicos hîc procumbere, deosculari hunc puluerem, qui olim DEO seruiuit, 11.
& aliquando *resurget, immutabitur,* & cum Christo regnabit.

Credi Catholicè ad sancta hæc corpora horrere dęmones, & vrgeri, interdumque 12.
miracu lis à Deo afferi, tam hanc no- 13.
stram pietatem, quàm honorem *Reliquiarum*.

Alterâ dein parte *Reliquias* Saluatoris D.N.I.C. prosequimur. *Lib.2.cap.20.*

Tertiâ posthæc, sacra DEIPARAE Lipsana proferimus. *Lib.3.cap.15.*

Quar-

Lib. 4. c. 23. Quartâ verò varias cæterorum Sanctorum Translationes, ac diuinam erga eorundem *Reliquias* conseruandas prouidentiam proponimus; atque vbi celebriorum quorundam Sanctorum sacræ exuuiæ religiosè asseruentur, piè colantur, ac miraculis refulgeant, è diuersis scriptorum Ecclesiasticorum monimentis eruimus, Lectorique Christiano proponimus.

Lib. 5. cap. 9. Postremâ demùm, pœnas eorum ac supplicia, qui SS. *Reliquias* vel irreligiosè vel etiam contumeliosè tractauerunt, tùm etiam nostrorum sectariorum inaudita erga easdem scelera ac flagitia prolixè describimus.

CAPVT II.

QVID NOMINE RELIQVIARVM CATHOLICI intelligant?

RELIQVIARVM nomine censemus non tantùm integra corpora Sanctorũ, verum etiam mẽbra præcisa, carnes, ossa ac cineres in quos redacta sũt ipsorũ corpora, vestes, baculos, sedes, domus, supellectilẽ, & instrumẽta Martyrij, vel quicquid illis, vtpote organis Spiritus S. ad vitæ huius sustentationem,

nem, vel in morte ad gloriam ſeruiuit. Sic lignea ſedes D.Iacobi, Cathedra D.Petri, Catenæ eius, ſudaria & ſemicinctia D.Pauli, pallium Antonij, & alia ſimilia aliorum ſanctorum veneratione digna ſunt habita, vti videbimus, nec dubitandum huiuſmodi cultum deuotioni fidelium plurimum fauere, dicente D.Auguſtino: (a) *Quemadmodum his, qui amore aliquid proſequuntur, eſt à naturâ inſitum, vt non ex ſolo eius aſpectu capiant voluptatem, ſed domum, veſtes, & calceos contemplentur cum magnâ lætitiâ; ita dicendum eſt de Sanctorum templis & reliquijs.* Et exempli causâ prodit idem Auguſtinus (b) ipſorummet languentium, atque mortuorum relata poſt Sanctarum contactum reliquiarum veſtimenta, ſanitatem vtramque attuliſſe; imò & flores. De puluere, ac ſitu ſepulchrorum, de oleo lampadarum, & lychnorum ad illa ſuſpenſorum, de manuali aquâ pedúmque ablutorum, & ſimilibus complura ſunt in hiſtorijs, & Patrum ſcriptis teſtimonia, quæ huic operi ſuis locis inſerentur; hîc pauca delibaſſe ſufficiat. Puluerem ex ſepulchro S.Albani collegiſſe S.Germanum, & reliquiarum loco habuiſſe, refert Illuſtriſsimus Baronius. Et Gregorius Turonenſis de vita S.Iuliani martyris refert Petrum fratrem

Reliquiarum nomine quid intelligatur.

(a) Lib.1. de ciuit. c. 12.

(b) Ibid. lib.22. cap. 8.

De miraculis Sanctorum diuina virtute per reliquias eorum factis.

Puluere ſepulchrorum miracula patrata.

trem suum seniorem ab ardore febrium occupatum grauissimè, vbi bibisset de puluere, qui circa beati erat tumulum; ita conquieuisse ab omni ardore febrium, vt ipsa die, & cibum caperet incolumis, & vbi delectatio vertisset animum, ambularet. Idem de gloria Confessorũ narrat multos è raso lapide sepulchri S. Felicis Bituricensis Episcopi, quod erat ex marmore Heracleo, potatoque modico puluere, tam à quartanis, quam tertianis, siue quotidianis febribus celeriter liberari. Cæterùm quot quantáue miracula ex collecto puluere circa Sanctorum sepulchra iacente, Deus operari consueuerit, verax testis est sanctus Gregorius Papa (c) qui fideli certaque attestatione refert, ex puluere collectoex altaris crepidine mortuum esse reuocatum ad vitam.

(c) 3. *Dial.* 17. *Mortuus oleo lampadis Sancti reuixit.*

Insuper quæ à Sanctorum loculis sunt penitus separata, sed tamen in ipsorum impenduntur honorem, eandem edendi miracula facultatem sunt diuinitus assecuta; vt oleum, quo ex more in Ecclesia antiquitùs obseruato, lampades circa sepulchra Martyrum solent incendi. Eo enim vnctum cadauer filij Irenæi esse reuocatum ad vitam, sanctus Augustinus est auctor. (d)

(d) *lib.* 22. *c.* 8. *de ciu. Dei.*

Theodoretus (e) itidem ingentia planè miracula de eodem oleo ex lychnis ad

(e) *In hist. SS. PP. c.* 21. *in Iac.*

ad Martyrum ſepulturas ſuſpenſis collecto, ſcriptis tradidit. Venantius Fortunatus admirabilem ſanè gratiam ex oleo lampadis conſecutus, id carmine cecinit. (f) Cui etiam rei adſtipulatur Paulus Diaconus de Geſtis Longobardorum. (g)

(f) lib. 4. vit. S. Martini.

(g) Lib. 2. c. 9.

Miraculum annuum S. Eulaliæ.

Eulalia glorioſa apud Emeritam vrbem paſſa magnum miraculum in die immolationis ſuæ populis profert. Sunt igitur ante eius altare, quo ſancta membra teguntur, tres arbores, ſed ignarus ego cuius ſint generis, inquit Gregorius Turonenſis. *Cumque iam medio menſe decimo, quando eius paſſio celebratur, ſint ab omni foliorum decore nudatæ, eâ die elucescente ſole cœlo in modum columbæ alitis flores proferunt ſuauitatis. Significantes quod ſanctus eius Spiritus in columbæ ſpecie penetrauerit cœlos, & quod beatum eius corpuſculum iam exanime, veſtibúſque nudatum nix cœlitus decidua molli vellere contexiſſet. Quod miraculum ſi ſolitæ arbores protulerint æſtate, ſcit populus ſibi annum, vel preſſuris vacuum, vel frugibus plenum. Quod ſi tardius flores ex more apparuerint, cognoſcit plebs ſua hoc fieri noxa. Nam priuſquam erumpant, querula ad ſepulchrum Martyris, ac mœſta decumbit, deprecans, vt ſolitam promereatur conſpicere gratiam: ſed nec pſallendo procedit,*

ſi hac

si hæc manifestata non fuerint. Iam si placatur Martyr à lachrymis plebis, emergunt protinus ex arboribus gemmei flores, qui odorem nectarium respirantes, animi mœstitiam, & aduentu lætificent, & reficiant suauitate. Dehinc diligenter collecti, & in basilicã Sacerdoti delati, processio cum gaudio celebratur. Nam & hos flores sæpius infirmis prodesse cognouimus.

Caligula Honorati miraculis clara.
(h) 1. *Dial. c.* 2.

De caligulâ Honorati, quæ cadaueri admota, illud excitauit ad vitam, scribit D. Gregorius: (h) eam enim Libertinus qui admouit, ob tanti Abbatis reuerentiam, gestabat semper in sinu. Vnde profectò Sacrarum RELIQVIARVM cultus manifeste colligitur.

(i) *Tom.* 1. *Annal. & in Nouis Martyrol.* 15. *Iunij.*

Sanctuariũ, & Brandeũ quid sit.

Indidem haud improbabiliter Baronius (i) notat manasse vsum in Ecclesiâ *Sanctuarij* quod *Brandeum* dicebatur: velum videlicet super Sanctorum impositum corpora, & ad venerationem, & ad diuinam quandam vtilitatem. Nam vetus Romanæ Ecclesiæ consuetudo non tantum abhorruit vt corpora sanctorum Româ transferri pateretur, verùm nec tenues reliquias ex eis detrahi quoquomodo permisit. In hãc sententiam S. Gregorius ita scribit: (k) *Romanis namq; vel totius occidentis partibus omninò intolerabile*

(k) *Lib.* 3. *epist.* 30.

est

est & sacrilegum, si sanctorum corpora tangere quis fortasse voluerit: quòd si præsumpserit, certum est quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro quâ re de Græcorum consuetudine, qui ossa leuare Sanctorum se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus, &c. His consentiunt, immò & planius declarant ea quæ S Germanus ac eius collegæ Legati Apostolici rescripserunt ad Hormisdam Papam sub consulatu Rustici, anno Domini D. XX. Constantinopoli cùm essent; & inter alia hæc verba: *Iustinianus filius vester magnificus res conuenientes fidei suæ faciens, basilicam Apostolorum, in quâ desiderat SS. Apostolorum Petri & Pauli, & B. Laurentij reliquias esse, constituit: sperat per paruitatem nostram, vt prædictorum Sanctorum reliquias celeriter concedatis. Habuit quidem petitio prædicti viri secundùm morem Græcorum; & nos contra consuetudinem Sedis Apostolicæ exposuimus. accepit rationem. Et quia talis est eius feruor fidei, qui meretur quicquid de Sede Apostolicâ depoposcerit; & talis est, qui sperat vnde & salus animæ & fidei accrescat: talibus desiderijs postulata competit non negare. Vnde si beatitudini vestræ videtur,* Sanctuaria *beatorum Apostolorum Petri & Pauli, secun-*

dùm morem, ei largiri præcipite; & si fieri potest, ad secundam cataractam ipsa Sanctuaria *deponere; vestrum est deliberare; &c.* Extant ad eosdem Legatos Hormisdæ Papæ de eadem re scriptæ literæ, aliæ itidem ad Iustinianum, significantis se tantùm *Sanctuaria* mittere.

Miraculum ex Brandeo.

Per *Sanctuarium* autem, *velum* intelligere debemus, quod S. Gregorius in proximè citatâ epistolâ *Brandeum* appellat, ex quo sanguis effluxit, cùm à S. Leone Papa, vt ait, forcipibus incideretur. Alibi autem idem appellat *velamen*, quod admoueri solitum erat sanctis martyrum corporibus. (l) *Brandeum* item appellat velum illud Ioannes Diaconus in vitâ S. Gregorij (m) cum ingens de eâ re miraculum narrat.

(l) S. Greg. lib. 4. ep. 44. ex Syn. Rom. & lib. 12. decret. 4.
(m) Lib. 2. cap. 42.

Ex quibus omnibus liquet, non corpora, nō fragmina ossium, vel tenuē rasuram illorum, sed tantum *velum* sacris admotum reliquijs, pro magno munere consueuisse Romanos Pontifices ad clarissimas personas, illas cupientes transmittere. Græcorum autem ab his fuisse diuersam consuetudinem, ex prædictorum assertionibus vidimus.

CA-

CAPVT III.

IVRE MERITISSIMO SANctorum Reliquias coli.

RELIQVIAS verò digno honore prosequendas, clarissimis sacræ scripturæ testimonijs edocemur. Ioseph enim qui in typo præcessit Domini Saluatoris nostri venditionem, magnâ ambitione, Iacob in Hebron ossa portauit (a) vt eum auo & atauo sociaret. Moses quoque discessurus cum populo ex Ægypto in Palæstinam, noluit ibi relinquere ossa S. Iosephi, (b) iamdudum mortui, sed ea honorificè secum asportauit, & transtulit in terrā promissionis. Verùm non solius Iosephi, sed & reliquorum vndecim Patriarcharum ossa transportarunt Israëlitæ ex Ægypto, teste D. Protomartyre Stephano, & dicente Pharisæis: (c)*Descendit Iacob in AEgyptum, & defunctus est ipse & patres nostri, & translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor, filij Sichem:* Nec tamen offenderunt in legem Mosaicam, qua mortuorum ossa cōtaminare declarabantur: tum quod illa lex nondum instituta & proclamata erat, tum quod illa de Sanctorum ossibus, cineribus, & reliquijs non intellige-

Exempla veteris Testamenti.

(a) Gen. 50.

(b) Exod. 13.

(c) Act. 7.

 batur,

batur, quæ in perpetua veneratione fuerunt apud Iudæos, quibus sum̃a cura fuit prædictorum ossa secum deportare, & in desertis quadraginta annis seruare, tam propter iusiurandum seruandum, quam propter emolumentum illis horum virtute & præsentia collatum. Nam ipsius Ioseph Patriarchæ *ossa prophetarunt*, (d) id est, miracula ediderunt, non minus quã mortuum Helisæi corpus, quod hominem mortuum vitæ restituit (e) Item, Deus ipse (vt Hieronymus contra Vigilantium argumentatur) corpus Moysi honorauit, dum illud sepeliuit. (f) Rursum, ossa Helisæi cum tetigissent mortuum quendam hominem, continuo illum ad vitam reuocarũt, (g) vt diximus: Non ergo Deus contemnit ossa Sanctorum, sed ea honorat, & honorari cupit, dum per illa miraculum tam insigne patrauit. Iterum cum Iosias delubra idolorum euerteret, & omnem idololatriã delere vellet, tantum abest, vt reliquias Sanctorum delendas esse existimaret, vt cum aliorum mortuorum ossa effodisset, & in cineres redegisset, ossa tamen sancti Prophetæ ibidem reperta asseruari iusserit. (h)

(d) *Ecclef.* 49.
(e) 4. *Reg.* 13.
(f) *Deut. Vlt.*
(g) 4. *Reg.* 13.
(h) 4. *Reg.* 23.

Cur colantur Reliquiæ.

Ex his autem obseruare licet, quanto honore & reuerentiâ dignæ sint Sanctorum reliquiæ, quarum effectus & operatio-

tiones mirabiles à teſtibus fide dignisſi-
mis diſcemus: ſi priùs aduerſus Euno-
mium, Vigilantium, Conſtantinum Co-
pronymum Imp VVicleſiſtas, & cæteros
Sectarios cum D. Hieronymo (i) profitea- (i) Tom. 2. ep. ad Ripar. Presb. aduerſ. Vigilant.
mur, *nos non Martyrum reliquias, ſed ne ſo-
lem quidem ac lunam, non Angelos, non Arch-
angelos, non Cherubim, non Seraphim, &
omne nomen quod nominatur & in præſenti
ſeculo, & in futuro colere & adorare: ne ſer-
uiamus potiùs creaturæ quàm Creatori, qui eſt
benedictus in ſecula. Honoramus autem reli-
quias Martyrum, vt eum, cuius ſunt Martyres,
adoremus. Honoramus ſeruos, vt honor ſeruo-
rum redundet in Dominum, qui ait: (k)
Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit. Quod ſi corpora
mortuorum pro immundis habentur, ergo Mo-
ſis corpuſculum immundum erit: quod ab ipſo
Domino ſepultum legimus (l) Ergo Domini
Saluatoris noſtri corpus in ſepulcro poſitum
immundum fuit: & Angeli candidis veſtibus
induti mortuo corpori atque polluto præbe-
bunt exſequias. Ergò immundum corpus im-
maculatæ & incontaminatæ Sacroſanctæ
Virginis Deiparæ, quod Apoſtoli ex vniuerſis
orbis partibus in ſanctâ Sion ſingulari Dei
prouidentiâ in vnum congregati in Gethſema-*

(k) Matth. 18. Luc. 9.

(l) Deut. vlt.

ne mirâ cum pietate deportarunt, & ibidem sepulturæ mandarunt. Ergò immunda Apostolorum & omnium seruorum Dei corpora, quibus tamquam organis ad omnia bona opera vsus est Spiritus sanctus. Ergò immundum Protomartyris corpus, quod viri timorati summâ cum pietate sepelierunt. (m) *Quòd si non sunt honorandæ Sanctorum reliquiæ, sed vt immundæ & pollutæ abÿciendæ, quomodo legimus:* (n) *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius? Ergò immundus & pollutus Deus, qui custodit* (o) *omnia Sanctorum ossa. Si verò ossa mortuorum seruorum Domini polluunt contingentes, quomodo Helisæus defunctus mortuum suscitauit, & dedit vitam corpori lumine casso? Ergò omnia castra Israëlitici exercitus, & populi Dei fuere immunda, quia Ioseph & Patriarcharum corpora portabant in solitudine; & ad sanctam terram immundos cineres pertulerunt. Ioseph quoque, qui in typo præcessit Domini Saluatoris nostri venditionem, sceleratus fuit: qui tanta ambitione, Iacob in Hebron ossa portauit, vt immundum patrem auo & atauo sociaret immundis, & mortuum mortuis copularet.*

(m) *Act.* 8.
(n) *Psal.* 115.
(o) *Psal.* 33.

De sepulchro Domini legimus: *In eum* (Messiam videlicet) *Gentes sperabunt, & erit*

(p) *Isa.* 11.

erit ſepulchrum eius glorioſum. Hunc locum de ſepulchro Chriſti intelligi certum eſt, tum ex ipſis verbis, tum ex Apoſtolo (q) quod autem non intelligatur ſolum de ſepulchro pro eo tempore, quo ibi Chriſtus iacebat, ſed etiam pro tempore futuro, ac proinde Reliquias honorandas: docet idem Hieronymus in epiſtola ad Marcellam vt migret Bethlehem, vbi docet, Iſaiam prædixiſſe id, quod modo fit, vt ſepulchrum Domini ab omnibus honoraretur. Ex quo refellitur Neoterici cuiuſdam blaſphemia, qui dicit, Deo non maiorem curam eſſe de ſepulchro Domini, quam de bobus. Certè ſi Chriſtus ipſe hic adeſſet, & nos veſtem eius deuotè oſcularemur, continuo nos idololatras eſſe Sectarij dicerent, at mulier hæmorrhoiſſa ſolam fimbriam Chriſti fideliter tetigit, & ſanata eſt. (r) Neque ſunt reprehenſi populi, qui certatim ad vmbram Petri eo modo, (s) quo poterant, attingendam occurrebant, ſed potius fidei ſuæ præmium retuliſſe dicuntur, & tamen quæ reliquiæ viliores ipſa vmbra cogitari poſſunt? Neque habiti ſunt ſuperſtitioſi, qui Pauli ſudaria, & ſemicinctia deferebant ad ægrotos, (t) vt etiam nos modo facimus, ſed potius religionem illorum miraculis confirmabat Deus.

(q) *Rom.* 15.
(r) *Matth.* 9.
(s) *Act.* 5.
(t) *Act.* 19.

Eorum qui in Deo viuunt, nec reliquiæ ſi-

ne honore manent, ait Clemens ex Apostolorũ traditione, (u) *nam Helisæus Propheta post discessum è vitâ. mortuum quendam excitauit interfectum à pyratis Syriæ. Attigit enim corpus eius Helisæi ossa; atque excitatus vixit, quod factum non esset, nisi Helisæi corpus sanctum fuisset. Ioseph complexus est Iacob post mortem, cum iaceret in lectulo. Et Moses ac Iesu Naue Iosephi reliquias secum duxerunt, quod minimè putauerunt piaculum, &c.* Et Dionysius Areopagita, (x) vbi de exequijs locutus est, subdit. *Peractis his, Pontifex condit in loculo dignißimo, cum alijs sui ordinis corporibus sacris. Si enim in animâ & corpore vitam sanctam, qui defunctus est, duxit, honorabile erit cum sancta anima, & quod sacris sudoribus, cum illa decertauit corpus.* Sanctus Basilius in illud: (y) Pretiosa in conspectu DOMINI mors Sanctorum eius: *Quando*, inquit, *Iudaicè quis moriebatur abominabilia erant morticinia: cum pro Christo mors contingit, pretiosæ sunt reliquiæ Sanctorum eius. Antea dicebatur Sacerdotibus & Deo dicatis; Non contaminabitur ex aliquo mortuo: nunc autem qui contingit ossa Martyris, quandam sanctificationis societatem assumit, ex gratia corpori insidente. Venerare,* ait

(u) *Lib. 6. Constit. Apost. cap. 30.*

(x) *Lib. Eccles. Hier. parte 3. cap. 7.*

(y) *Psal.* 115.

ait idem Basilius (z) *legitimè Martyres, vt egregiæ tuæ voluntatis te testem adducas, ac demum sine persecutione, sine igne, sine verberibus ac plagis eodem cum illis præmio dignus habearis.* D. Chrysostomus quoque: (a) *Preciosa*, inquit, *sunt corpora martyrum, quoniam plagas pro Domino susceperunt, & quia stigmata propter Christum membris suis impressa ferunt: & sicut corona regalis vndique decorata fulgores varios emittit, ita & sanctorum Martyrum corpora, sicut preciosis lapidibus, acceptis pro Christo vulneribus distincta omni regum diademate pretiosiora & spectabilia redduntur, &c.*

(z) *Orat. in quadrag. Mart.*

(a) *Orat. in 7. SS. Machab.*

Honoro, ait D. Ambrosius, (b) *in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices. Honoro viuentis memoriam perennitate virtutis, honoro per confeßionem Domini sacratos cineres. Honoro in seminibus semina æternitatis. Honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & dæmones? quod & afflixerunt in supplicio, sed glorificãt in sepulchro? Honoro itaque corpus, quod Christum honorauit in gladio, quod cũ Christo regnabit in cœlo.* Præ-

(b) *Serm. 93. in natali SS. Nazarij & Celsi.*

terea Auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus: (c) *Sanctorum corpora & præcipuè beatorum martyrum reliquias, ac si Christi membra, sincerissimè honoranda credimus.* D. Aurelius Augustinus: (d) *Non sunt*, ait, *contemnenda seu abijcienda corpora defunctorum, maximéque iustorum atque fidelium, quibus tanquam organis & vasis vsus est Spiritus sanctus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid huiusmodi tanto charius est posteris, quanto erga parentes maior extitit affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique multo familiarius atque coniunctius, quam quælibet indumenta gestamus.*

(c) *Cap. 73.*

(d) *Lib. de cura pro mort. agenda c. 3. Quare honorentur reliquiæ.*

Denique Photius Constantinopolitanus (e) ad Michaêlem Bulgariæ principem, vbi de septimo Concilio generali loquitur ait: *Sic & sanctorum templa, & sepulchra, & reliquias, ex quibus morborum curationes emanant, fideliter adoramus, Christum verum Deum nostrum, qui gloriâ ipsos affecit, collaudantes & celebrantes. Et si quid his in mysticis & sanctis nostris sacrificijs simile est, per munus & gratiam in illis exhibitam, præcipuum authorem, & principem caussam agnoscimus & commendamus.*

(e) *Lib. de 7. Oecum. Conc.*

Sacrorum Conciliorum auctoritates plu-

plurimæ ſuppetunt : ſed hoc loco duæ tantùm ſufficient, cæteras ſuis locis reſeruamus. Moguntinum IV. ita decernit: (f) RELIQVIAS *Sanctorum, velut diuinæ gratiæ olim receptacula, & veriſsima Chriſti membra, & puriſsima Spiritus ſancti domicilia monemus in Eccleſijs, vel ob id proponendas, & religioſa pietate venerandas, vt per eas fideles commoniti diſcant virtutem & fidem Sanctorum imitari. Et alicubi in his ſanguinolentas notas & pro fide Chriſti tolerati martyrij veſtigia cernentes, admoneantur ſpem fidei noſtræ non eſſe inanem, pro quâ omnia dira pati ſancti martyres in animum ſibi induxerunt, quorum exemplo ipſi etiam ad aduerſitatum omnium tolerantiam animentur.* Et nouiſsimè Concilium Tridentinum: (g) *Decernit ſancta Synodus ſanctorum martyrum, & aliorum cum Chriſto viuentium ſancta corpora, quæ viua membra fuerunt Chriſti, & templum Spiritus ſancti ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda & glorificanda, à fidelibus veneranda eſſe, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur: ita, vt affirmantes Sanctorum reliquijs venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaq́ue ſacra monumenta à fidelibus inutiliter bono-*

(f) Can. 43.

(g) Seßione. 25.

honorari, atque, eorum opis impetrandæ causſa Sanctorum memorias fruſtra frequentari, omninò damnandos eſſe, prout iam pridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Eccleſia.

CAPVT IV.

SVMMO HONORE SANCTORVM RELIQVIAS DEferri ſolitas.

QVANTO honore delatæ ſint ab antiquis *Reliquiæ*, diſce à Socrate, (a) Theodoreto, (b) Sozomeno; (c) illic leges concurriſſe Chriſtianos cum eſſent Iuliano Apoſtatâ imperante, S. Babylæ oſſa, à Daphne ſuburbio Antiochiam deferenda; & loculum tranſtuliſſe vna *cum mulieribus ac pueris, exultantes gaudio, Pſalmoſque canentes.* Imò, *omnes ad vnum antecedentes ſaltare cœpiſſe*; & adfuiſſe quidem pompæ, *viros & mulieres, iuuenes & virgines, ſenes & pueros.* Scribit Euagrius (d) S. Ignatij oſſa Theodoſij Magni iuſſu, ſummo honore Antiochiam eſſe translata: *Qua de cauſa,* inquit, *feſtum celebre, & lætitiæ communis ad noſtram vſque ætatem peragitur.* Vide quam grandis veneratio, quamq; probata, cuius annuam me-

(a) Lib. 3. c. 16.
(b) Lib. 3. c. 9.
(c) Lib. 5. c. 18.
Translatio S. Babylæ Reliquiarum.
(d) Lib. 1. c. 18. S. Ignatij.

memoriam coli placuerit; Vnde Nicephorus: (e) *Eisdem, ait, temporibus diuinus quoque Ignatius Româ Constantinopolim delatus est. Cùm namque ille, sicuti et visum fuerat, in Amphitheatro Romæ in ferarum aluis sepultus esset, quæcunque superfuére firmiora solidioráque ossa condita ibi sunt. Theodosius autem,* DEI *optimi maximi præstantissimâ suggestione, magnopere ingenti atque illustri cum honore ea ad gregem suum referre studuit. Quapropter reliquias eas inde receptas, cum magnifico apparatu post tempus longum Antiochiam reduxit, & in eo loco, quod cœmiterium vocatur, veneratione magna reposuit: & delubrum ingens dæmonibus olim dicatum (quod ab incolis τυχαῖον, quasi fortunæ templum dicas, vocabatur) in sacrosanctum phanum mutatum diuino martyri consecrauit. In quo etiam reliquiarum tumulus repositus est, curru imperiali cum sacro apparatu & satellitio in vrbem eam illatus, vbi quoque anno quolibet publicè & magnificè festus dies est actus, Deo diligentium se memoriam sanctè à funere etiam ipso glorificante, sicuti anteà quoq; in Babyla accidit, &c.* Idipsum D. Ioannes Chrysostomus (f) testatur his verbis: *Roma stillantem eius sanguinem*

(e) *Lib. 14. cap. 44.*

Dies festus in honorem reliquiarum S. Ignatij.

(f) *Homil. in Laud. Ignatij*

guinem excepit; vos reliquias eius suscepistis, vos Episcopatu eius gauisi estis; illi martyrio sunt lætati. Certantem illi, vincentem, ac coronatum conspexerunt; vos perpetuo illum posidetis. Exiguum ad tempus eum vobis ademit Deus, sed maiori cum gratia restituit. Et paulò inferiùs: *Sanctum illum omnes ex ordine ciuitates ab vrbe relatum suscipientes, humerisque gestantes, Antiochiam vsque sunt comitatæ, martyrem coronatum concelebrantes, collaudantes victorem, diabolum deridentes.* Idem multa post hæc de miraculis à sepulchro eius scaturire consuetis enarrat.

(g) Aduers. Vigilant. Samuelis. Habes apud D. Hieronymum, (g) suo æuo ossa Prophetæ Samuelis è Palæstinâ Constantinopolim iussu Arcadij delata, *Illas reliquias*, inquit, *omnes Episcopi in serico & vase aureo portauerunt*. Addit, *Omnium Ecclesiarũ populos occurrisse sanctis Reliquijs, & tanta lætitia quasi præsentem, viuentemq́; Prophetam cernerent, suscepisse, vt de Palæstina vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonarent*, Eius verba verò sunt hæc. *Sacrilegus dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore*

pore de Iudæâ tranſtulit in Thraciam? Omnes Epiſcopi non ſolùm ſacrilegi, ſed fatui iudicandi, qui rem viliſſimam & cineres diſſolutos in ſerico & vaſe aureo portauerunt. Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis reliquijs, & tanta lætitia quaſi præſentem, viuentemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt, vt de Palæſtina vſque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Chriſti laudem vnâ voce reſonarent, non Samuelem, ſed eum, cuius ille fuerat Leuita & Propheta, adorantes. De eadem tranſlatione hæc Sozomenus: *Attico verò Epiſcopatum gerente, Prophetæ quoque Samuelis oſſa allata, & in prophetico eius phano, quod propè Septimum cōditum eſt collocata.* Hæc eadem confirmat Nicephorus, (i) qui alibi narrat (k) Artemium generoſum fidei propugnatorem, & ducem Auguſtalem Antiochiæ, copiarumq́ue ductorem ſub Conſtantino Imperatore, diuorum Apoſtolorum, Andreæ, Lucæ, & Timothei oſſa ex Achaiâ & Epheſo Conſtantinopolim pertuliſſe. Hinc etiam infert ſupra memoratus D. Hieronymus: *Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim. Factum eſt hoc opere Artemij*

viri

(h) *Lib.* 9. *Eccleſ. hiſt. c.* 2.

(i) *Lib.* 14. *cap.* 10.

(k) *Lib.* 10. *cap.* 11.

Andreæ, Lucæ & Timothei.

viri præclari, quem Iulianus postea ob id factum persecutus est, vt suprà ex Nicephoro allegauimus) apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur.

(l) *Lib.*12.*c.*14.

Pauli Constantinopolitani Episc.

Meletij Antiocheni.

Vide obsecro ea quæ dicuntur.

(m) *Ibid.c.*48.

Citatus verò Nicephorus aliarum translationum meminit, dum ait (l) *Post Synodum celebratam, vbi Imperator* (scilicet Theodosius Senior) *cognouit quid Paulo Constantinopolitano olim Episcopo accidisset, (vt scilicet in exilio ab Arrianis suffocatus enectusq; fuerit) translato honorifice corpore eius Constantinopolim, in templo id reposuit, quod Macedonius, qui insidiatus illi fuerat, construxit. Sub idem tempus* (infert) *sacræ etiam Meletij reliquiæ Constantinopoli Antiochiam sunt perlatæ, & proximè apud Martyrem Babylam repositæ. Dictum autem est, Imperatoris iussu corpus eius, in publicis viis omnibus, præter Romanum morem, inter mœnia vrbiū receptum, precationibusq; & psalmodiis alternis in vrbibus decantatis, donec Antiochiam pertigit, honoratum esse.* Idem postea subdit: (m) *Religio verò non per hos tantùm maiora capiebat incrementa, verum eam etiam cohonestarunt, atq; vt æquum est, quàm maximè exornarunt quæ tum apparuerunt ve-*

terum

terum atq; illustrium Prophetarum Reliquiæ. Abacuc *enim primum, deinde* Michæas, *&* *tandem post hos celebre* Baptistæ *caput è terra extitere.* Abacuc *quidem &* Michææ *reliquias diuina visio, sicuti audiui, in somnis Zebeno ostendit Eleutheropolis eo tempore Ecclesiam gubernanti,* &c. De capite verò Ioannis, agit sequenti capite XLIX.

Abacuc, Michaa, & capitis S. Ioannis.

Sancti vero Ioannis Chrysostomi ossa, tricesimo quinto postquam obierat anno, Constantinopolim Theodosij iunioris iussu translata, quo cultu excepta sint, habes apud illius seculi virum, Theodoretum. (n) *Fidelis hominum cœtus, inquit, pelagus nauigiorum multitudine velut continentem efficiens, Bosphori ostium ad Propontidem situm luminaribus cooperuere.* Ea vero translatio hac occasione facta est.

Ioan. Chrysostomi.

(n) Eccles. hist. lib. 5. c. 36.

Proclo Episcopo Constantinopolitano anniuersariâ die transitus S. Chrysostomi, ex more panegyricam ad populum orationem habente, ita vniuersi Ioanis amore incaluêrunt, vt acclamationibus indesinentibus Proclum pulsare aggressi, petentes sibi reddi Ioannem, sacrasq; eius reliquias Cõst: transferendas, ipsum concionem perficere non siuerint: extat ea pars concionis in Annalibus Illustrissimi Card. Baronij descripta, recens

inuenta. Perſuaſus eâ de re Theodoſius, ſelectos ſenatores legat Comanam in Pontum, cum mandatis, ſolemniſsimâ pompâ venerandum Ioannis corpus inde ſublatum, *choris pſalentium comitantitibus, accenſis cereis*, de loco in locum, quàm religioſiſsimè, ac glorioſiſsimè auehendum curarent. Accidit autem diuino nutu, vt loco corpus moueri non poſſet, quo perſcripto ad Theodoſium adhibitis in conſilium Proclo, & alijs ſanctiſsimis viris, ipſe quid ſibi videretur, expoſuit, nimirùm vt ad Ioannem ipſum tanquam viuentem literas daret, ſupplicis inſtar libelli, quibus ab eo, de admiſſis in ipſum peccatis à parentibus veniam peteret, rogaretque humillimis precibus, vt Conſtantinopolim redire, ſuamque ſedem priſtinam capeſſere dignaretur. Sententia probata, literæ perſcriptæ (quæ adhuc extant) ſuper ſanctum corpus poſitæ, peruigilio acto in precibus, exoratus, facit corpus ſuum transferri. Chalcedonem itaque delatum, Regia triremis illud excepit toto eo mari nauibus conſtrato, cùm ſumma eſſet tranquillitas, repentina exorta procella, naues omnes alias aliò diſperſit, triremis verò Regia magna vi abrepta, ad viduæ agrum appulit, propter quam ſponſa Chriſti Eccleſia paſtore tanto viduata fuerat, & pe-

tram

tram diſcidit, *quod miraculum hodie quoque cernitur,* ait Coſmas Veſtiarius, totius narrationis auctor. Quo facto rurſum ſerenitas aduenit, & naues omnes hinc inde collectæ, ſacra pignora Conſtantinopolim deducunt, infertur curru Regio in Eccleſiam ſanctorum Apoſtolorum, vbi Imperator precatus, pro vtroque parente, & ſeorſum pro matre, vt tumuli eius motus, atque ſtrepitus conſiſteret, qui per tot annos audiebatur; quod & impetrauit, motu non ampliùs exaudito. A collocato ſacro corpore in throno, circumſtantes, Proclus, & alij imprecatum de more, *Pax vobis*, ſe audiſſe teſtati ſunt. Denique ad baſim ſacræ diuinæq; menſæ, magnus Antiſtes, Epiſcoporum manibus, velut ſacer, & inuiolabilis theſaurus conditus eſt 21. Ianuarij. Tum, qui propter Ioannem conuentus ſeorſum faciebant, ad Eccleſiæ concordiam reconciliati ſunt; vt patet ex Marcellino(o) Socrate, (p) Theodoro Lect. (q) Theodoreto, (r) Coſma Veſtiario, oratione dicta in eius translatione; & Nicephoro, (s)

(o) *In Chron.*
(p.) *Lib. 7. cap.* 44.
(q) *Lib. 2. collectan.*
(r) *Lib.* 5. *c.* 26.
(s.) *Lib.* 14. *cap.* 44.

CAPVT V.

OBIECTA QVAEDAM DILVVNTVR, ET DICTA PLVRIBVS confirmantur.

Grauibus de causis alio delata Reliquia.

AT dicent aduersarij, hunc fuisse veluti sepulturæ honorem, qui Sanctis eo modo habebatur; neque delatas illo æuo Reliquias, nisi si de vno monumento ad aliud. Imò, declinādis periculis, & inuocando solemnius Deo, sacra hæc pignora de templis producebantur; etiam interdum ad castra. Narrat Euagrius (a) vidisse se S. Simonis Monachi caput, ad Philippicum Imperatoris generum missum, cùm is efflagitaret, *vti Sanctorum reliquiæ quo tutius in Oriente expeditiones militares faceret, ad ipsum mitterentur.*

(a) Lib. 1. c. 13.

Sanctus item Gregorius Turonēsis (b) narrat, quòd cùm lues inguinaria populum primæ Germaniæ deuastaret, & omnes terrerentur, huius cladis auditu, concurrit Rhemensium populus ad sancti Remigij sepulchrum, congruum huius causæ flagitare remedium. Accensis cereis lychnisque non paucis, hymnis, Psalmisque cœlestibus per totam excubat noctem. Mane autem facto, quid adhuc precatui desit in tractatu rimatur: repe-

(b) De glor. Conf. c. 79.

reperiunt enim, reuelante Deo, qualiter oratione præmiſsâ, adhuc maiori propugnaculo munirentur. Aſſumptâ igitur pallâ de beati ſepulchro, componunt in modum feretri: accenſiſque ſuper cruces cereis atque ceroferalibus, dant voces in canticis, circumeunt vrbem cum vicis. Nec prætereunt vllum hoſpitium, quod non hac circuitione concludant. Quid plura? Non poſt multos dies, fines huius ciuitatis lues aggreditur memorata. Verum tamen vſque ad eum locum accedens, quo beati pignus acceſsit, ac ſi conſtitutum cerneret terminum, intro ingredi non modò non eſt auſa, ſed etiam quæ in principio peruaſerat, huius virtutis repulſu reliquit.

At non deerunt qui dicant hunc Maiorum in obſeruandis Reliquijs conſenſum, fuiſſe quædam idololatriæ paulo ante defunctæ veſtigia; quibus tunc annuebant Epiſcopi, ne per omnia populi ingenio viderentur obſtare. O quiſquis es, agnoſce hæreſeos vitium, quæ ſuos patronos in hæc abſurda cogit. Si hoc enim ex idololatriæ vitio, non ex Christianâ virtute, cur ipſi Epiſcopi non id modo ferebant in populo, ſed ita populum imbuebant, ſed hoc etiam in pietatis parte ponebant? Cur in Deum, vt authorem, referebant eiuſmodi veneratio- *Alia obiectio.*

nis ritus, atque solemnia? Cur hæc etiam Deus miraculis asserebat? Audi enim non indoctum, non ineptum, sed magnum Augustinum (c) *Tunc memorato Antistiti tuo* S. Ambrosio, *per visum aperuisti, quo loco laterent Martyrum corpora, Protasij & Geruasij, quæ per tot annos, incorrupta in thesauro secreti tui condideras, vnde opportune promeres ad coercendam rabiem fæmineam, sed regiam* (nempe Iustinæ Augustæ, Valentiniani Matris, quæ Ariana, & infesta Catholicis) Refert exinde complura miracula tunc facta, quæ suis locis postea referemus. Quòd si DEO cultus Reliquiarum non placeret, cur ipse seruis suis corpora Sanctorum, quæ latebant, ostenderet? Vidisti, D. Augustino testante, S. Ambrosio reuelata diuinitùs corpora sanctorum Geruasij & Protasij, vti etiam ipse scribit in epistolâ de hac re, quæ fertur in Tomis Surij.

(c) Lib. 9. Conf. c. 7.

Corpora Sanctorum diuinitus reuelata.

Extat etiam epistola Luciani, in quâ significat, sibi diuinitus ostensa corpora SS. Stephani, Nicodemi, & aliorum: fuisse autem verum illud Stephani corpus, innumerabilia miracula ostenderunt, de quibus Euodius libros duos conscripsit. Et B. Augustinus: (d) *Latuit*, inquit, *tanto tempore corpus eius* (Stephani) *processit quan-*

(d) Serm. 91. ex nouis.

quando Deus voluit, illuminauit terras, tanta miracula fecit, mortuus viuos facit mortuos, quia nec mortuus.

Ad hæc refert Sozomenus, (e) ossa SS. Martyrum Nestabi & Eusebij fratrum, quæ Gazenses miscuerant cum ossibus camelorum & asinorum, ne à Christianis internosci possent, sanctæ cuidam fæminæ diuinâ reuelatione ostensa, & ab eodem collecta fuisse. Ex eodem Sozomeno superiore capite audisti ossa Abacuc & Micheæ Episcopo cuidam diuinitus reuelata fuisse. Idem refert Quadraginta Martyrum reliquias diuinâ reuelatione inuentas. De quâ inuentione hæc Nicephorus: (g) *Imperij*, ait, *illorum* (scilicet Theodosij & Pulcheriæ præfatæ) *Deus tempora honore prosequens visionibus quibusdam è sinu terræ corpora produxit, & publicè in apertum protulit. Id quod eo tempore accidit, in Zacharia veteriore Propheta, in Stephano primo Diacono & Martyre, atque in Sebastiensibus Quadraginta sub Licinio gelu concretis Martyribus.* Narrat autem modum & ordinem quomodo sint inuentæ præfatæ reliquiæ, & Constantinopolim operâ & solicitudine Pulcheriæ translatæ. Consequenter tradit S. Thyrsi martyris reliquias eidem Pulcheriæ per visio-

(e) *Lib. 5. c. 8.*

(f) *Lib. 9. c. 2.*

(g) *Lib. 14. c. 8.*

Zacharia reliquia. Item Stephani.

nem reuelatas, aliorumque martyrum, Quos, ait, *è ſinu terræ extractos, eodem loco & honore ornari iuſſit*. Præmemoratus Sozomemus Salaminius teſtatur (h) ſe interfuiſſe pompæ, cum prædictæ reliquiæ Thyrſi & aliorum martyrum à Pulcheriâ pretioſæ arcæ impoſitæ ſunt: locellumq́; tradit foramen in medio habuiſſe, per quod ſolerent ipſæ ſacræ reliquiæ tangi, quod quidē moris etiā fuit in occidente, quos martyres, vt diximus, pretioſiſsimâ thecâ honoratos, intra venerabilem Thyrſi Eccleſiam Pulcheria compoſuit publica feſtiuitate celebratâ. *Olympiadis ſacræ virginis* (ait ſæpe dictus Nicephorus (i) *in Nicomediâ Bythiniæ exulantis, & ibidem defunctæ, ſacra oſſa mari impoſita ſine vllo alio adiutore, maritimo loco applicuerunt, qui Bothri dictus eſt, vbi incolæ diuinâ admoniti viſione exierunt, & ſacras reliquias ad ſanctiorem ſacrificij aram repoſuerunt, quâ innumerabilium morborum curâ, dæmonumque expulſione, alijſque prodigijs, quæ ſupra hominum opinionem, ibi exhibere Deus dignatus eſt.*

(h) *Lib. 9. c. 2.*

Olympiadis Virg.

(i) *Lib. 13. c. 24.*

Venerabilis Beda de ſex ætatibus in Martiano, refert caput S. Ioannis Baptiſtæ ab ipſo Ioanne reuelatum duobus Monachis & in Zenone ſcribit, corpus S. Barnabæ

Capitis S. Ioannis, & S. Barnabæ.

nabæ cum Euangelio B.Mathæi, ſuper eius pectore inuentum, ipſo Barnabâ reuelante.

CAPVT VI.

ET LICITVM ET PIVM ESSE, SVDARIA, VESTES, ET ALIA huiuſmodi ſacris applicare Reliquijs; & opem inde à Sanctis exſpectare.

QVanto deuotionis feruore fideles Chriſtiani ſaeras reliquias ſi habere non liceret, ſaltem contingere deſiderarent, ſatis luculentus teſtis eſt S.Gregorius Nazianzenus, ſcribens de D.Baſilio: (a) *Geſtabatur ſanctus manibus ſanctorum eleuatus, ſinguliq́ contendebant: & hic quidem, vt fimbriam contingeret, vel ab vmbrâ contingeretur: alius, vt lectulum, quo ſacer ille efferebatur, ſolum tangeret. Quid enim corpore illius ſanctius ac purius?* (a) *Orat. 8. in S.Baſil.*

Cùm verò minùs liceret ipſa Sanctorum ſepulchris condita corpora tangere, inhæſit Fidelibus pia ac religioſa traditio, vt ſudaria, veſtes, vel aliquod velum eiſdem de ſuper admouerent, vti etiam ſupra (b) dicere cœperamus, quod etiam nunc auctoritatibus SS.Patrum & fide *Sudaria admoueri ſolita.* (b) *Cap 2.*

 digniſ-

dignifsimis hiftorijs comprobare nitimur. De tranflatione corporum SS. Geruafij & Protafij magnum Ecclefiæ lumen Auguftinus ita fcribit: (c) *Cùm propalata & effoſſa digno cum honore transferrentur ad Ambroſianam Baſilicam, non ſolùm quos immundi vexabant ſpiritus, confeßis eiſdem dæmonibus ſanabantur, verum etiam quidam plures annos cæcus, ciuis, ciuitatique notißimus, cùm populi tumultuantis lætitiæ cauſſam quæsijſſet, atque audiſſet, exiluit, eoque ſe vt duceret, ſuum ducem rogauit. Quo perductus, impetrauit admitti, vt* SVDARIO *tangeret feretrum precioſæ in conſpectu tuo mortis Sanctorum tuorum. Quod vbi fecit, atque admouit oculis, confeſtim aperti ſunt.* Huius miraculi alibi etiam meminit idem Auguftinus, fcribens: (d) *Miraculum, quod Mediolani factum eſt, cùm illic eſſemus, quando illuminatus eſt cæcus, ad multorum notitiam potuerit peruenire, quia & grandis eſt ciuitas, & ibi erat tunc Imperator, & immenſo populo teſte res geſta eſt, concurrente ad corpora Martyrum Geruaſij & Protaſij, quæ cùm laterent, & penitus neſcirentur, Epiſcopo Ambroſio per ſomnium reuelata reperta ſunt: vbi cæcus ille depulſis veteribus tenebris diem vidit.*

(c) *Lib. 9. Confeſſ. c. 7.*

Miracula ex huiuſmodi ſudarijs.

(d) *Lib. 22. de ciuit. Dei c. 8.*

vidit. Hunc verò cæcum, dictum *nomine Seuerum, arte lanionem, omnibus notißimum, fuiſſe illuminatum ad contactum feretri, quo reliquiæ portabantur*, ſcribit ipſe D. Ambroſius. (e) Quod miraculum volentes negare Ariani; ipſemet cæcus illuminatus palàm & publicè clamabat, *quia vt contigit fimbriam de veſte Martyrum, quâ ſacræ reliquiæ veſtiuntur, redditum ſibi lumen fuiſſet*: hocque teſtimonio dato, & ab omnibus cæcum illuminatum cognoſcentibus approbato, confuſi abierunt Ariani. Sed præſtat integram eiuſdem Diui ſententiam audire, ita ſcribentis: *Dum transferimus, cæcus ſeruatus eſt. Cognouiſtis, imò vidiſtis ipſi, multos à dæmoniis purgatos, plurimos etiam vbi veſtem Sanctorum manibus contigerunt, iis quibus laborabant debilitatibus abſolutos. Reparata vetuſti corporis miracula, quo ſe per aduentum Domini* IESV *gratia terris maior infuderat, vmbrâ quadam Sanctorum corporum pleroſque ſanatos cernitis. Quanta oraria iactitantur? quanta indumenta ſuper Reliquias ſacratißimas, vt tactu ipſo medicabilia repoſcantur. Gaudent omnes extremâ lineâ contingere; & qui tetigerit, ſaluus erit.*

(e) *Serm. de SS. Geruaſ. & Protaſ. & ep. 85. ad ſoror.*

S. Auguſtinus, duodecim miracula ad reli-

reliquias inuictiſsimi Martyris Stephani facta ordine deſcribit, (f) è quibus primum hic adſcribam. *Ad aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente Proiecto Reliquias Martyris glorioſiſsimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus, & occurſus. Ibi cæca mulier, vt ad Epiſcopum portantem pignora ſacra duceretur, orauit: flores, quos ferebat dedit, recepit, oculis admouit, protinus vidit, Stupentibus qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlterius non requirens.*

(f) *Lib.* 22. *de Ciuit. Dei c.*8.

Ibidem omnino ingentia, ſibiq́; vt ait, notiſsima refert, diuerſis in locis, ad Reliquias S. Stephani patrata miracula: Inter cætera, excitatos quinq; à mortuis, cum vel ipſimet delati ad Reliquias eſſent, vel veſtes eorum, poſt Reliquiarum contactum, iam ad mortuos dominos applicarentur.

Digreſsio ad Sectarios.

Quo ſibilo eas hiſtorias ſtylo eodem, eadem ratione relatas, exciperetis aduerſarij, ſi aliquem iſtius ſeculi authorem haberent, qui nunc ad illas erubeſcitis veneratione tanti authoris? Collige mentem, ſectarie, vides non ex idololatriæ vſu, ſed Deo iubente, elata Martyrum oſſa. Vides non licitum modo, ſed pium, veſtes, aut ſudaria ſanctis applicare cor-

pori-

poribus, & opem ex illo contactu tam exſpectare, quam poſcere. Vides deniq; hæc omnia, vt recta, vt ſincera, approbata miraculis, non ſolum veteribus, ſed & recentibus, è quibus vnicum in tui gratiam adſcribam.

Cùm defuncti S. Ignatij Loiolæ corpus exequiarum cauſa iaceret in feretro, (g) Bernardina quædam Romana, filiam ſtrumis iam diu laborantem, quam arte nullâ medici ſanare valuerant, ad oſculandas mortui manus admouere vehementer optabat certam ex eo contactu filiæ valetudinem ſibi pollicita. Sed cùm præ turbâ impetu ſæpe facto puella nunquam ad feretrum accedere potuiſſet: denique mater, quippe quam filiæ charitas valentiorem audacioremque reddebat, non ante deſtitit, quam ex veſtimentis Ignatij fruſtulum adepta eſt. Id fruſtulum Virginis collo ſimul atq; alligatum, velut præſenti numinis ope morbus euanuit: cuius miraculi rumor cunctis, vt par eſt, admirantibus, longè lateque manauit.

S. Ignatij Loiolæ.

(g) Ioan. Petr. Maffe⁹ lib. 3. c. 14. Vita.

CA-

CAPVT VII.

RECTE RELIQVIAS IN PLVRES PARTES DIVIDI, & diuersis locis impertiri.

NOn nouum, neque Sanctis iniurium esse, si eorum Reliquiæ diuidantur in partes pluribus suffecturæ; pluribus exemplis patet, neque enim à Christianis indignè lacerantur, sed cum honore ac pietate diuiduntur. Hinc in D. Augustino (a) legimus, pluribus in Africâ locis sancti Stephani reliquias fuisse dispersas, ad aquas Tibilitanas, in Castello Synicensi, Calamæ, Auduri, Vsali, Hipponæ: & cultas vbique, & vbique ad illas patrata miracula, *per Martyrem, opitulatione Martyris, Martyre impetrante,* hæc ipsissima D. Augustini verba sunt.

(a) *Lib.* 22. *c.* 8. *de Ciuit. Dei.* *S. Stephani Reliquiæ pluribus in locis.*

Et quid mirum? cùm ita de sanctis Martyribus scribat D. Greg. Nazianzenus; (b) *Quorum corpora idem possunt quod animæ siue manibus contrectentur, siue honorentur: quorum vel solùm sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt quod corpora.* Et alibi: (c) *Est adeò,* inquit, *frequens horum luctæ certaminumque veneratio, vt exiguus puluis, aut reliquiæ veterum ossium, totius ad honorem sufficiant: & nonnullo-*

(b) *In Iul. Orat.* 1.

(c) *In Cygneis de animi Iuberis.*

nullorum saltem appellationem reliquiarum omninò expertem, scio locis certis inditam esse pro toto martyre, quæ tamen eandem vim obtinuerit. O rem prodigiosam! salutem affert sola recordatio. D. Ambrosius, absoluta concione, quam habuit ad populum suũ Mediolanensem, inuenta post corpora SS. Geruasij & Protasij sacra pignora, vt decebat, suo loco recondidit: ita tamen, vt ex eis partem aliquam sibi seruaret erogandam in diuersas Ecclesias, quæ ardentissimo studio eorundem SS. Martyrum Reliquias ex diuersis locis expeterẽt, vt in eorum honorem basilicas vel erigerent, vel in iam ædificatis reponerent. Allatæ sunt ipsæ Romam, vbi nomine eorundem SS. Martyrum à Vestina nobili, ac prædiuite fæminâ erectus est titulus, qui postea ab Innocentio Papa fuit dedicatus. Id enim habet liber de Romanis Pontificib. in Innocentio. Accepit easdẽ quoque reliquias Martyrum S. Paulinus, quas collocauit in nuper à se erecta Fundana basilica. Testatur id ipse ad Seuerum scribens. Insuper S. Gaudentius Brixiens. Episcopus acceptas ab eodem Ambrosio ipsas reliquias condidit in basilica dicta Concil. SS. Tradit ipse id sermone, quem habuit in eiusdem dedicatione. In Gallias quoque easdem perlatas fuisse reli-

reliquias, atque in honorem eorundem Martyrum erectas fuisse memorias, affirmat Gregorius Turonensis, & Aimoinus. Fuerunt quoque eorundem Martyrum reliquiæ perlatæ in Africam, ibiq; in Victoriana villa triginta millibus ab Hippone collocatæ, vbi ipsorum nomine erectam fuisse Ecclesiam S. Augustinus enarrat. Sed & Eugipius narrat in actis S. Seuerini ad Noricos etiam peruenisse eorundem Martyrum veneranda pignora. Ex hoc itaque vnico exemplo de cæteris fieri potest iudicium.

Cur sint Reliquiæ Sanctorum diuisæ.

Cum igitur eandem virtutem in exiguâ parte reliquiarum martyris, quæ in toto sit corpore, inesse, experimento testetur supra citatus Gregorius Nazianzenus: inde euenit, vt corpus vnius Martyris in plures interdum partes diuidi soleret, recondique in diuersis altaribus, quæ sepulchra sunt Martyrum, vt auctoritate diuinæ scripturæ (d) constat. indeque fortasse accidit, vt cùm vnius eiusdemque Martyris diuersis in locis Reliquiæ conditæ haberentur, & æquè ac si integrum corpus vbiq; horum locorum conditum esset, eadem miracula sint operatæ, vnius eiusdemque Martyris corpus in diuersis locis haberi dicatur. *Tolerabilis error,* inquit Cardinal. Baronius (e) cui

(d) Apoc. 6.

(e) Annal. tô. 1. an. 55.

cui non hominum impostura, sed exuperans diuina largitas præbuit occasionẽ: dùm quòd ob virtutis præstantiam diuersis in locis sit vnius eiusdemque Martyris erecta memoria, vel excitatum sepulchrum (quod esse consueuit sacrum altare) quisq; apud se corpus illius haberi est opinatus.

At si licet sacra profanis conferre, Dionysius Halicarnasseus (f) de pluribus AEneæ sepulchris hanc affert rationem, sic dicens: *Quod si quem perplexum facit, quod Æneæ sepulchra monstrentur multis in locis, nec posit nisi vno esse conditus: cogitet hanc dubitationem esse vulgarem; & intelligat, quòd quamuis vnicus locus capiat corpora talium, apud multos tamen monumenta eis facta sũt, in gratiam acceptæ vtilitatis cuiuspiam.* Hæc ille: quæ quidem de sanctis martyribus multo magis potuerunt accidisse; cum præsertim nõ satis esset ob accepta à sanctis martyribus beneficia memoriam illis erigere, nisi etiam ipsorum (g) Reliquijs consecraretur altare, quod esse sepulchrum Martyrum consueuit. Qua ratione S. Basilius (h) ait, quadraginta illos Martyres dici esse conditos in varijs ciuitatibus, quia quælibet ipsarum partem aliquam reliquiarum posideret. Theodoretus etiam, (i) dicit, Martyrum corpora

(f) *Lib.* I.

(g) *Concil. Afric. c.* 50.

(h) *Orat. in* 40. *Mart.*

(i) *Lib.* 8. *de Mart.*

pora raro inueniri integra in vno aliquo monumento, ſed eſſe diuiſa, & diſtributa in varia loca. Eius verba ſunt hæc: *Martyrum corpora non ſingula quidem ſingulis cõduntur monumentis, ſed ciuitates, oppida, paganique conuentus hæc inter ſe ſortitò partiti ſunt, laborantibuſq; animis, ac ægrotis corporibus, ſalutares eos confiteri non ceſſant. Nihiloq́; ſecius eos vrbium cuſtodes, ac locorum Præſides venerantur: quorum precibus & interuentu apud Deum vtentes, per eos demum diuina munera conſequuntur. Sectis itaq́; eorum corporibus integra tamen vis & gratia perſeuerat, tenueſq́; ac tantillæ Reliquiæ, toti parem habent virtutem, gratia enim qua pollens vigenſque perſiſtit petentibus dona fidei ſupplicantium commenſa diſtribuit.*

(k) In lib. quod Chriſtus ſit Deus.

Denique S. Ioannes Chryſoſtomus (k) Apoſtolum Petrum & Romæ, & Conſtantinopoli iacere dicit, cùm tamen Conſtantinopoli nihil eſſet, niſi aliqua particula; nam corpus ipſum Romæ eſſe ſepultum idem Chryſoſtomus teſtatur (l) Sed verba eius audiamus ex libro iam citato: *Romæ, inquit, quæ vrbium eſt regaliſſima, relictis omnibus, ad ſepulchra piſcatoris & pellionis currunt Reges, & præſides, & milites, & Conſtantinopoli Reges noſtri ma-*

(l) Hom. 32. in epiſt. ad Rom.

gnam

gnam gratiam putant, non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula, corpora sua sepeliantur, fiantque piscatorum ostiarij Reges.

Inde flagrans semper desiderium incessit mentes Fidelium, potiundi Sanctorum virorum Reliquijs. Hinc S. Paulinus (m) ex communi sui temporis iudicio, magnæ benedictionis loco habet, ex peregrinatione Hierosolymitana *reportare, vel de ipsis locis exiguum puluerem, vel de ipso crucis ligno aliquid saltem festucæ simile sumere & habere.* Theodorus Studites vetus & græcus Auctor: (n) *Loca in quibus natus est Christus, sancta sunt & habenda venerationi, & si quis illinc acceperit siue puluisculum seu lapidem; eum adornat, atque complectitur, quasi peculiarem thesaurum, aut sacras quasdam reliquias.* Si terræ sanctæ lapillos, vel puluisculos, tanto in pretio habuerunt veteres, quo loco ab illis diuinæ crucis particulas habitas fuisse censebimus? Ex eo enim desiderio habendi non nihil de sanctissimo crucis ligno accidit, vt vix reperiretur locus vllus, vbi non piè asseruaretur & coleretur pars aliqua S. Crucis: nam quicunque Hierosolymam proficiscebantur (proficiscebantur autem innumeri) haud facilè domum

(m) *Epist.* 34.

(n) *In dogmatio de honorandis imaginibus tom.* 3. *Biblioth. SS. Patrum.*

De S. Crucis particulis.

mum repetebant, sine sacrosancto Crucis ligno: quod, vt ait Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus, (o) *per particulas, de mõte Caluariæ per vniuersum orbem sparsum est.*

(o) *Catech.* 4. 10. & 13.

Vt autem tam multorum votis beatum hoc lignum sufficeret, eodem ferè miraculo euenit, quo olim, vt tot millibus hominum pauculi panes satis essent. Audiamus S. Paulinum: (p) *Crux in materia insensata vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris pæne quotidie hominum votis lignum suum commodat, vt detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat: quotidie diuidua sumentibus; & semper tota venerantibus. Sed istam imputribilem virtutem & indelebilem soliditatem de illius profecto carnis sanguine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem.*

(p) *Epist.* II.

Impudentes calumniæ.

Hinc non ferenda eorum impudentissima calumniandi libido, qui asserunt; quòd *nunc particulis Crucis ferendis, si omnes colligerentur in vnum, ne trecenti quidem homines sufficerent; aut integra nauis*: vel, vt alij calumniantur, *ne decem quidem naues Batauicæ.* Vel vt alius nugatur, *integram domum construi posse ex particulis S. Crucis, quæ hinc inde ostentantur, si in vnum locum colligerentur.*

Verum

Verum enim verò hasce criminationum nebulas vnius sententiæ suæ fulgore disijciet S.Cyrillus; qui testimonia de Christi diuinitate colligens, inter alia adducit quoque Crucem: (q) *Lignum crucis Christum,* inquit, *testatur ad hodiernum diẽ apud nos apparens, & apud eos, qui secundum fidem ex illo capientes, vniuersum orbem ferè iam repleuerunt.* In hunc modum S.Cyrillus, qui non modò vult crucis gloriam diuinitatis Christi, & potentiæ testem esse, sed & illam multiplicationem & dispersionem partium crucis per vniuersum terrarum orbem. (q)*Catech.*10.

Voluit autem Deus in scabello pedum suorum, in cruce, inquam, dum eam ad totius mundi solatium auxit; idem miraculum exhibere, quod statuit quoque in alio scabello pedum suorum, in terrâ videlicet, quam institit, & cui vltima sua vestigia impressit, ascensurus in cœlum, vt ex his miraculis cognosceremus Christi omnipotentiam, dum adoramus in loco vbi steterunt pedes eius. Nam licet puluerem, ex illo loco vbi Christus in in cœlum ascensurus vestigia fixit, Christiani, religionis caussâ, certatim auferrent & asseruarent: terra tamen inibi nõ modò diminuta non est; sed etiam Christi vestigia impressa retinuit; ita quam- *Lege R.P. Iacob. Grets. lib.* 1.*c.*77. *de S. Cruce.*

uis Basilica ibi exstructa esset, nunquam tamē marmore insterni potuerit. Quam rem ita narrat Sulpitius: (r) *Illud mirum, quod locus ille, in quo postremum institerant diuina vestigia, cùm in cælum Dominus nube sublatus est; continuari pauimento cum reliqua stratorum parte non potuit. Siquidem quæcunque applicabantur, insolens humana recipere, terra respueret; excussis in ora apponentium sæpe marmoribus: quin etiam calcati* DEO *pulueris adeò perenne documentum est, vt vestigia impressa cernantur; Et cùm quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat: & eandem adhuc sui speciem velut impressis signata vestigijs terra custodiat.* Eadem ferè Paulinus: (s) *Mirum verò inter hæc,* ait, *quod in Basilicâ Ascensionis locus ille tantum, de quo in nube susceptus ascendit, ita sacratus diuinis vestigijs dicitur, vt nunquam tegi marmore; aut pauiri receperit: semper excussis, solo respuente, quæ manus, adornandi studio, tentauit apponere; Itaque in toto Basilicæ spatio solus in sui cespitis specie vires permanet, & impressam diuinorum pedum venerationem calcati Deo pulueris perspicua simul & antiqua venerantibus arena conseruat;*

(r) *Lib. 2 sac. hist.*

Miraculum de loco ascensionis Christi.

(s) *Epist.* 11. & *Beda de loc. sanct. c.* 7.

uat; vt verè dici poßit: Adorauimus, vbi steterunt pedes eius.

CAPVT VIII.

RELIQVIAS IN TEMPLIS, ET ALTARIBVS EX ANTIQVO vsu recondi, & super ijs Missas celebrari.

Reliquias autem, vel sub Altaribus condimus, vel ornatâ cistâ reponimus. Vtrumque ex vsu antiquo. De priore isto, de altero sequenti capite agemus.

In primis Concilium generale VII. Nicænum II, sub Adriano I. habitum, & cui ipse præsedit, cum multa de veneratione Sanctarum Reliquiarum statuta essent, hoc subiungitur decretum: (a) *Quæcunque*, ait, *templa consecrata sunt absque Reliquijs Martyrum, in his fieri statuimus Reliquiarum depositionem cum consuetis precibus. Qui autem templum consecrat sine sanctis Reliquijs, deponatur, vt qui Ecclesiasticas transgressus est traditiones.* Concilium quoque Carthaginense V. (b) iubet, vt nulla altaria, vel memoriæ Martyrum dedicentur, nisi ibi sint aliquæ Martyrum reliquiæ: & aliter dedicata euertantur: vel populus admoneatur, ne ea loca frequê-

(a) *Can. 7. act. 7.* *Non consecrāda templa sine reliquiis.*

(b) *Can. 14.*

tet, ne superstitione aliquâ teneatur, si colat videlicet quasi Martyris sepulchrũ vbi reuera non est corpus Martyris. Denique Concilium Epaunense sub Gelasio I. *Sanctorum reliquiæ in oratorijs villaribus non ponantur, nisi forsan clericos cuiuscunque parochiæ vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur.*

(c) Can. 25.

Hinc & Leo Imperator sanxit, (d) ne signum crucis, vel Reliquiæ sanctorum Martyrum inferrentur in loca publica, quæ gratiâ popularis voluptatis esset erecta: *Decernimus*, ait, *vt posthac neq; monachi, aut quicumque alij cuiusque statûs atque fortunæ, in ædes publicas, vel in quæcunque loca populi voluptatibus fabricata venerabilem crucem, & sanctorum Martyrum Reliquias illicitè inferre conentur, vel occupare audeant ea, quæ ad publicas caussas, vel ad populi oblectamenta exstructa sunt.*

(d) l. decernimus. C. de Episc. & Cleric.

Sanè quidem ex Athanasij scriptis hæc recitat Damascenus. (e) *Scimus B. Athanasium Sanctorum reliquias non in vrnis collocandas, sed humi condendas esse, eo consilio censuisse, vt absurdum Ægyptiorum morem abrogaret, qui mortuos suos non sub terra cõdebant, sed in lectulis & sympodijs collocabant.*

(e) De Imagin. orat. I.

Ex

Ex antiquo autem Ecclesiæ vsu altaria esse solere sepulchra Martyrum, iam est demonstratum. Scimus tamen Alexandriæ etiam sub Theophilo eius sedis Episcopo perseuerâsse morem illum, vt Reliquiæ Martyrum extra tumulum positæ, populo certis diebus venerationi exponerentur; vt Eutropius Sardianus, cum agit de Serapidis templi ruinâ, testatur.

Reliquiæ populo ostensæ.

Quod verò Reliquiæ sub altaribus recondantur, meminit eius rei S. Ambrosius in exhortatione ad Virgines, de reliquijs SS. Vitalis & Agricolæ, & in epistolâ ad Sororem, de inuentione corporum SS. Geruasij & Protasij. *Rides*, ait D. Hieronymus, (f) *de reliquijs Martyrum, & cum auctore huius hæreseos Eunomio Ecclesijs Christi calumniam struis, nec tali societate terreris, vt eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Ecclesiam loquitur. Omnes enim sectatores eius, Basilicas Apostolorum & Martyrum non ingrediuntur, vt scilicet mortuum adorent Eunomium, cuius libros maioris auctoritatis arbitrantur, quàm Euangelia, &c. Malè facit ergò*, infert, *Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem puluisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria?*

(f) *Lib. contr. Vigilant.*

(g) Serm.11.de sanctis. *(h) Lib.5.c.8.* *(i) Apocal.6.*

S. Augustinus (g) quoque similia habet, & Sozomenus. (h) Videtur autem ista consuetudo Apostolorum tempore cœpisse; nam ideò Ioanni (i) ostensæ sunt in cælo animæ Martyrũ sub altari, quia corpora eorũ in terris sub altaribus requiescũt, vt Augustinus insinuat loco notato.

Altaria in honore habenda.

Porrò ad magnum honorem pertinere hunc locum reliquijs aſsignatum, docent Hieronymus & Augustinus locis notatis, & res ipsa hoc docet. Semper enim altaria in magno honore fuerunt, ita vt etiam suo modo adorarentur; nam Tertullianus, (k) inter ritus Christianorum ponit, *aris Dei adgeniculari.*

(k) Lib.de pœnit.

Missa super reliquias celebranda. *(l) Lib.8 c.27. de Ciuit. Dei.*

Non autem esse nouum Missæ sacrificium Sanctorum super reliquias celebrare, constat ex sæpe memorato D. Augustino qui sic loquitur (l): *Nos nostris Martyribus non templa, sacerdotia, & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum* (memorias vocat loca, in quibus conditæ erant Reliquiæ) *tanquam sanctorum hominum Dei, qui vsque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt, vt innotesceret vera religio, falsis religionibus fictisque conuictis. Quis autem fidelium audiuit aliquando stantem sacerdotem ad altare,*

etiam

etiam super sanctum corpus Martyris, ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus; offero tibi Petre, vel Paule, vel Cypriane, Cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines fecit & martyres, & sanctis suis Angelis cælesti honore sociauit, vt ea celebritate & Deo vero de illorum victorijs gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoriæ renouatione adhortemur? Quæcunque igitur adhibentur religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra, vel sacrificia mortuorum tanquam deorum. Nos itaque Martyres nostros nec diuinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, sicut colunt aliqui deos falsos suos, nec sacrificia illis offerimus, nec eorum probra in eorum sacra conuertimus. Idem eadem repetit alibi (m) *Populus*, inquit, *Christianus memorias Martyrum religiosâ solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamuis in memorijs Martyrum constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum aßistens altari, aliquan-*

(m) Lib. 20. contra Faustum. c. 21.

quando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane, &c. Longè autem ante Augustinum Concilium Romanum præsidente in eo Felice I. vt ex epistola eius secunda ad Episcopos Galliæ constat, sic statuit: *Perturbatores Ecclesiæ memorias Martyrum execrantur. Quapropter in præfata constituimus Synodo, vobisque & omnibus Ecclesijs tenendum & agendum mandamus, vt super memorias Martyrum Missæ celebrentur, ne memoriæ eorum à talibus extingui, aut veneratio poßit prohiberi.* Hinc Concilium Aurelianense I. celebratum sub Constantino Magno Imp. (n) *Si quis*, ait, *per superbiam tanquam perfectum se existimans, conuentus qui per loca & basilicas sanctorum Martyrum fiunt, accusauerit, vel etiam orationes quæ ibidem concelebrantur spernendas crediderit, memoriasque sanctorum contemnendas putauerit, anathema sit.*

Vide à quo tempore Reliquiæ Martyrum Hæreticis sunt infestæ.

(n) *Canone* 20. & *allegat Gratian. dist.* 30. *c. Si quis.*

Porrò Gregorius I. (o) ad Eulogium Episcopum Alexandrinum: *Nos autem*, ait, *penè omnium Martyrum distinctis per dies singulos paßionibus collecta in vno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solennia agimus.* Refert autem in eiusdem Pontificis vitâ Platina, & alij historiographi testantur illum

(o) *Lib. 7. Regist. ep.* 29.

illum instituisse vt Missa supra B.Petri & Pauli corpora, celebraretur. Hinc etiam Gregorius Turonensis: (p) *Vltrogotha Regina auditis*, ait, *miraculis quæ ad locum fiunt, quo sancta membra quiescunt, tanquam sapientiam Salomonis expetijt corde deuoto, prospicere, &c. Illuc ergò deducta vigilijs nocte, & orationibus & profluis lacrymis, manè oblatis muneribus multis in honorem B.Confessoris Missas expetijt celebrari, quæ dum celebrantur subitò tres cæci, qui ad pedes beati Antistitis longo tempore priuati lumine residebant, fulgore nimio circundati lumen quod olim perdiderant, receperunt, &c.*

(p) *Lib.1.mirac. S.Martini.*

Martinus Bracarensis etiam (q) hæc habet. *Non oportet clericos ignaros & præsumptores super monumenta in campum Mysteria portare, aut distribuere Sacramenta, sed aut in Ecclesia, aut in Basilica, vbi Martyrum sunt* Reliquiæ *depositæ, ibi pro defunctis oblationem offerre.* Idem omninò repetit Concilium Cabilonense secundum. (r)

(q) *Cap.68.sui collectorij, & allegatur à Gratiano. De consec. d.1 c. Non oportet.*

(r) *Cap.49.*

Legitur autem & in vitâ Gregorij III. referente memorato Platina, & alijs, quòd ipse oratorium fecit in Basilicâ S.Petri, in quo recondidit in honorem Saluatoris *Reliquias* SS. Apostolorum, vel omniũ Sanctorum Martyrum, ac Confessorum,

iusto-

iustorum ac perfectorum in toto orbe quiescentium, quorum festa Vigiliarum à monachis trium Monasteriorum illic seruientium quotidie per ordinem existentia, atque Natalitiorum Missas in eodem loco celebrare iussit, instituens in Canone ita à Sacerdote dicendum. *Quorum solennitas hodie in conspectu tuæ Maiestatis celebratur, Domine Deus noster toto orbe terrarum.* Idem fecit & Zacharias I. vt in eius vitâ legitur. Denique Carolus Magnus capite 7. suarum constitutionum meminit & statuit de sanctorum corporibus in honesto loco reponendis, vbi & oratorium sit in quo debeant orationes & vota persolui. Et Platina iam memoratus narrat Nicolaum I. statim post consecrationem suam super S. Petri corpus sacra mysteria celebrasse. Lege Concilium Tridentinum, (s) & Auctores, qui de mysterijs, & in Canonē Missæ scripserunt.

(s) *Sess. 22. c. 3.*

CAPVT IX.

RECTE SACRAS RELIQVIAS ORNATA CISTA CONcludi, vel precioso metallo, gemmisq; concredi.

NEc istud esse nouum, sacras Reliquias thecis aureis vel argenteis includi, colligitur ex verbis Diui Hie-

Hieronymi contra Vigilantium, dum dicit: Ergò *totius orbis errãt Episcopi, qui Cauponem Vigilantium contemnentes ingrediuntur basilicas mortuorũ, in quibus puluis vilissimus & fauilla nescio quæ* (resumit blasphema verba Vigilantij) *iacet linteamine conuoluta, vt polluta omnia polluat, &c. O portentum in terras vltimas deportandum! Dolet martyrum reliquias precioso operiri velamine, & non vel pannis vel cilicio colligari, vel proijci in sterquilinium, vt solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur.*

De capsis, vbi reponuntur sacræ reliquiæ, mentionem facit in vitis summorum Pontificum Anastasius Bibliothecarius, Platina, & alij, & potissimè in vitâ Symmachi I. & in alijs locis, quos longum esset proferre. Decet sanè decorari argento, & auro, & re omni pretiosâ Sanctos, & Sanctum Sanctorum: non est id profanum, aut Iudaicum tantùm, sed Christianissimum, quia pijssimum. Qui atheus est, detrahat de statuis amictum *aureum æstate onerosum, hyeme frigidum*: Iudat etiam *in barba aurea cum illo tyranno*, (a) quærat, *in templo quid facit aurũ?* (b) Christianus *adorat, quod scit,* (c) *& honorem habet ei, quod adorat latriâ, aut duliâ,*

Sancti honorandi & auro, argentoq; decorandi.

(a) *Cic. 3. de Natu. Deorũ.*
(b) *Persius Satyr. 2.*
(c) *Ioan. 4. 22.*

huius-

Aurum templo oblatum vendi potest, vt pauperum necessitatibus inseruiatur.

huiusmodi externis rebus: paratus pro Deo, quem in se honorat, & in ipso Sanctos, ipsosque propter illum, res easdem vt viuis DEI templis, imaginibusque subueniat in necessitate constitutis, detrahere de mortuis templis, ac imaginibus, atque distrahere. *Si calicem aureum inuenisses*, ait Augustinus Licentio scribens (d) *in terrâ, donares illum Ecclesiæ Dei: Accepisti à Deo ingenium spiritualiter aureum, & ministras idem libidinibus, & in illo Satanæ propinas teipsum.*

(d) Epist. 39.

Multitudo aureorum, atque argenteorum vasorum, inquit Cardin. Bellarmin. (e) *sæpe fuit saluti toti Reipublicæ, dum in communi captiuitate, fame, aut peste, Ecclesiæ thesaurus multis millibus miserorum opem tulit, vt quasi in id tempus diuinitus datus, & seruatus videretur.* Multa in historijs suppetunt exempla, quæ huc transferre, instituti nostri argumentum non patitur.

(e) De cultu Sanct. c. 6.

Icones & statuæ, quas fideles suspendunt in templis, non sunt Idola.

Præterea non sunt Idola, vt quidam blasphemi calumniantur, quæ votorum rei fideles suspendunt Icones, vel statuæ, nec vana hæc superstitio, aut Idolatria, cum pietatis erga Deum, & venerationis aduersus amicos eius tantùm sint indices, atque recepti à DEO per intercessores Sanctos beneficij testes.

Lau-

Laudatur piorum ore, ſcriptiſque præ alijs Eligius Nouiomenſis ſanctus Epiſcopus, qui argenteas Sanctis ædes, ſiue conditoria, loculamenta, & thecás ex argẽto affabre fecit, ſeu vt Auctor vitæ (f) nominat, *tumbas*, quibus hodieque Germanus & Genouefa Pariſijs, & alibi Sancti alij incluſi ritè coluntur.

(f) *Cap.* 32. *apud Sur.* 1. *Decembr.*

Quod attinet ad *ciborij* vocem Græcam, de quâ proximè citatus Chryſoſtomus (eſt autem τὸ κιβώειον) in hiſtoria de reuelatione capitis S. Ioannis Baptiſtæ, ſumitur *Ciborium* pro theca, ſiue loculamento, aut lipſanotheca, in quam ibi ſcribitur reconditum ſacrum illud caput cum beatorum trium Innocentium corporibus; ſed & pro ſacro vaſe, in quo aſſeruatur ſacro ſancta EVCHARISTIA, ſiue pro pixide, vel arca, vel cuſtodia, Græci & Latini, & ſua etiam Galli linguâ *Ciborium* vſurpant, vt de Gallis Perionius obſeruat eo opere, quo de Gallicæ linguæ origine diſſerit. (g) Ex Græcis Zonaras (h) menſæ Sacræ κιβώειον nominat: & Germanus (i) Conſtantinopolitanus comparat cum Arcâ, in quâ erant Sancta Sanctorum: dici enim quoque arcã *Cib*, Hebraicè. Libri Pontificalis (k) Latinus auctor vtitur eadẽ voce pro vaſculis, vt ipſe loquitur, in Sacramenti con-

(g) *Lib.* 2.
(h) *Tom.* 3. *Annal.*
(i) *In Theoria rer. Eccl.*
(k) *In Symmacho & Gregorio Magno.*

conseruationem. *Et hodie,* inquit, *Ciboria vocantur.* Eiusdem vocis vsus idem extat apud Ioannem Diaconum, (l) & alios.

(l) In vita Gregorij.

Quid sit encolpium.

Reliquiarum etiam thecæ, ab alijs *encolpia* vocantur: qua voce significatur, quidquid religionis gratia de collo suspenditur, & in sinu fertur, siue sit crux siue quid aliud ex sacrarum rerum numero, vt sunt; quæ vulgo appellamus *Reliquiaria*. quæ non modo ab Episcopis Deoque dicatis hominibus religionis, & custodiæ caussa gerebantur, sed & ab Imperatoribus, vt ex actione quinta synodi octauæ constat.

Rectè etiam thecæ, quibus cereæ cælestis Agni imagines, & similes res consecratæ includuntur; *Encolpia* appellabuntur. Huiusmodi *Encolpium* seu crucem plenam Reliquijs secum circumferre solebat S. VVilibrordus, quam cum quidam furto sustulisset, graues pœnas dedit, vt scribit Alcuinus in eius vita.

Antiqui Christiani etiam, non modo auro & argento includebant Sanctorum Reliquias, sed velut pretiosissima monilia ex collo quoque suspensas ferebant. Multa huius moris exstant exempla. Nõnulla alibi referemus. In præsenti sufficiat testimonium S. Gregorij Magni, (m) qui de Reliquijs ad Childebertum Francorum

(m) Lib. 5. ep. 6.

corum Regem à se missis, ita scribit: *Claues præterea S. Petri, in quibus de vinculis catenarum eius inclusum est, excellentiæ vestræ direximus, quæ collo vestro suspensæ à malis vos omnibus tueantur.* Si ergo Reliquias Diuorum tanta reuerentia ex collo gestarunt, multo magis gestasse censendi sunt sacrosanctæ Crucis Lipsana; quod etiam ex sancto Chrysostomo liquet cum ait, (n) Christianos tanto desiderio erga lignum S. Crucis ferri, *vt qui paruum quiddam ex illo habent, tam viri, quam mulieres, hoc auro includant, & ceruicibus suis aptent.* Quod luculento sororis suæ Macrinæ, Virginis sanctissimæ, exemplo testatum facit S. Gregorius Nyssenus. (o) De S. Magno Cōfessore Theodorus Eremita. (p) *Habebat B. Magnus Diaconus pendentem in collo cruciculam, in qua continebantur Reliquiæ beatæ Dei Genitricis* MARIAE, *& de ligno S. Crucis, atque sanctorum Martyrum Mauricij & Sociorum eius, nec non BB. Confessorum Columbani, & Galli. Inuenit ergo supra præfatum flumen (Lycum) locum valde amænum, & à littore præfati fluminis spatio quasi cubitis triginta arborem pomiferam valde decoram, suspenditq́ cruciculam in ipsa, & vocauit presbyterum, atq; prostrauerunt se pariter coram*

(n) Orat. Quod Christus sit Deus.

(o) Apud Surium Tomo. 4.

(p) Lib. 2. c. 9. de vita D. Magni.

crucicula in orationem. Tum venerabilis vir preces ad Dominum emisit dicens; Domine Deus meus IESV *Christe, &c.* D.Gregorius Magnus Recharedum, Regem Visigothorum in Hispania, cruce donauit, in qua, præter alias Reliquias, continebatur particula de sanctissimo crucis ligno:(y)*Crucem quoq;* inquit S. Gregorius, *dedi latori præsentium vobis offerendam, in qua lignum Dominicæ crucis inest, & capilli B. Ioannis Baptistæ, ex qua semper solatium nostri Saluatoris per intercessionem præcursoris eius habeatis.* Idem ad Adulovvaldum misit *crucem cum ligno S.Crucis Domini, & lectionem S. Euangelij theca Persica inclusam.*

(y) *Lib. 7. Reg. epist. 127. & lib. 12. epist. 7.*

Misit Nicephorus Patriarcha Cōstantinopolitanus ad Leonem III. Pont. Max. crucem pectoralem, in quâ continebantur partes de cruce primâ, dispositæ in figuram crucis.

(z) *Epist. ad Leon. III. habetur in actis Conc. Ephesini tom. 5. c. 22.*

Adhæc Basilius Imperator Constantinopolitanus inter cætera munera misit Ludouico Regi Germanorum crystallum miræ magnitudinis, mirè auro gemmisque ornatum, cum parte non modicâ S.crucis, vt inquit Sigebertus.(a)

(a) *In Chron. an. 872.*

Symmachus Papa quoque pro oratorio S.Crucis à se extructo fecit, *Confessionem*

nem ex argento, & crucem ex auro cum gemmis, vbi inclusit lignum Dominicum; ipsa crux aurea pensabat libras decem, vt ait Anastasius Bibliothecarius.(b)

(b) *Apud Baron. an. Christi* 514.

Memoratus etiam D. Gregorius Magnus misit huiusmodi hierothecam crucis formâ effigiatam, ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, quod munus ipsemet, his verbis meritò ornat: (c) *Transmisimus crucem paruulam, in quâ de catenis amatorum vestrorum sanctorum Petri & Pauli Apostolorum inserta est benedictio, quæ oculis vestris assiduè supponatur, quia multa per eandem benedictionem miracula fieri consueuerunt.* Misit præterea idem D. Gregorius Magnus reliquijs vndiquaque refertam crucem ad Dynamium Patritium Galliæ, de qua ipsemet his verbis: (d) *Transmisimus B. Petri Apostoli benedictionem crucem paruulam, cui de catenis eius beneficia sunt inserta, quæ illius quidem ad tempus ligauerunt, sed vestra colla in perpetuum à peccatis soluant. Per quatuor verò in circuitu partes de B. Laurentij craticulâ in quâ perustus est, beneficia continentur, vt hoc, vbi corpus eius pro veritate crematum est, vestram mentem ad amorem Domini accēdat.* Misit idem S. Gregorius, præter alias imagines, cru-

(c) *Lib.* 11. *ep.* 49.

(d) *Lib.* 2. *ep.* 33.

cem ad Secundinum Galliæ inclusum, data simul ad illum epistolâ, (e) quam citat Adrianus Pontifex in defensione septimæ Synodi pro imaginibus ad Carolum Magnum.

(e) Lib. 7. ep. 54.

Leo II. Pontifex Romanus in epistola ad Quiricum Antistitem Toletanũ (f): *Benedictionis gratiam; crucem clauem habentem de sacris vinculis auctoris nostri beati Petri Apostoli, tuæ dilectioni direximus; vt præsulare meritum Dei, & proximi charitas vinciat, & per vexillum salutiferum Crucis Christi, qui in eo suspensus est, totius corporis membra clauis diuinorum mandatorum adstringat: vt tali signaculo communitum, reseratis ianuis regni cælestis, Apostolorum Princeps ad secum perfruendum beatitudinem æternam suscipiat*. In quæ verba clarissimus Scholiastes Garsias Louisa: *Romanis Pontificibus in more fuit, de limaturâ catenarum Petri, pro magno munere Regibus, & Principibus, alijsq́ viris Primarijs, atque de Christi Ecclesia bene meritis mittere. Cuius rei multæ epistolæ B. Gregorij fidem faciunt: fiebat autem hoc modo; ramenta catenarum includebantur aureâ claui ab altari Petri Apostoli acceptâ, & ad absentes transmittebantur. Hi autem, quibus illa paruula clauis transmittebatur, religiosè acci-*

(f) Extat in collect. Concil. Hispanic.

accipientes, collo suspendebant; vt Apostoli muniti præsidio, à malis imminentibus tuti essent. Id scribit Gregorius ad Childebertum Regem Francorum lib. 5. epist. 6. Indict. 14. Et in epist. 23. lib. 6. Indict. 15. Enumeratq; ingens miraculum de vltione diuinâ in Longobardum, huiusmodi religiosi instituti contemptorem. Petit & ab Hormisda PP. Iustinus V.C. postea verò Imperator, vt catenarum Petri limaturam ad se mitteret. Includebatur autem tum limatura tum clauis de catena S. Petri non raró crucibus seu cruciculis; vt apparet ex epistolis S, Gregorij & ex S. Leonis itidem secundi testimonio.

Cuius est & istud in epistolâ ad Simplicium Comitem. *Ad perpetuam vestræ gloriosæ Christianitatis protectionem, venerabilem Crucem, clauem habentem de salutaribus vinculis auctoris nostri Petri, Christi Apostolorum Principis, per præsentem gerulum direximus: vt, cuius sinceram dilectionem geritis, & luminaribus fideliter prouidetis, traditionis rectitudinem veraciter amplectimini; eius iugiter Apostolicâ tuitione saluemini.* Hæc Leo Pontifex.

Simile munus misit Vitalianus Pontifex anno DC. LXV. ad coniugem Regis Anglorum Osuui, teste epistola Vitaliani

ad Regem, quæ extat apud Bedam: *Nam & coniugi vestræ, nostræ spirituali filiæ direximus per præfatos gerulos crucem, clauem auream habentem de sacratissimis vinculis beatorum Apostolorum Petri & Pauli.* Non ergò nouum aut insolitum videri debet, si & hoc tempore crucis diuinæ particulæ, & Sanctorum lipsana, crucibus decorentur, honorisque & reuerentiæ caussâ ijsdem includantur. Nec nouum si cum S. Hieronymo, monumenta Sanctorum, & ossa, puluerémque sanctum, ac in ijs Christum Deumq́ue veneremur, ac pretioso velamine operire studeamus.

Quid ni enim, veneremur, & Christianâ mente coronemus Strophiolo, dracontario, & omnis generis coronamento, diademati in cœlo destinata? quid ni coronemus rosis, violis, auro, gemmis, qui cum Christo suo spinis coronari meruerunt, & potuerunt?

CAPVT X.

RECTE NOS RELIQVIAS VISITARE, VT DEVM PER EAdem pignora suorum amicorum exoremus.

AD Reliquiarum etiam locum pergimus, Deum exoraturi, vel Sanctis loquuturi; demissique sepul-

pulchris osculum damus. Ea etiam ex institutione antiqua. Nam & Hieronymus Vigilantium vocat, *portentum in vltimas terras deportandum*, quod scribere *ausus esset; Ergò cineres suos amant animæ Martyrum, & circumuolant eos, semperque præsentes sunt; ne fortè si aliquis precator aduenerit, absentes audire non possint?* At quis credat aut Vigilantium ista scripturum, nisi tunc Christianis in more fuisset, Martyribus apud suas Reliquias supplicare; Aut Vigilantio, quòd hunc morem vellicaret, doctissimum Hieronymum tam acriter offensum, nisi hoc pie ad Domini cultum, à Christianis factitatum, & ab Ecclesia approbatum, ipse in Ecclesia institutus, & vetustatis scientissimus ritè nouisset? Idem in vita Hilarionis, de quadam Constantia, quam *Sanctissimam fæminam* vocat; *Erat solita peruigiles in sepulchro eius* Hilarionis *noctes ducere, & quasi cum præsente ad adiuuandas orationes suas sermocinari.* Et D. Augustinus (a) Paladiam quandam narrat à fœdissimo morbo sanatam ingenti miraculo, quæ, inquit, *ad Sanctum Martyrem* Stephanum *orare perrexerat.* Magnus quoque Basilius oratione in Mamantem Martyrem. *Ad Martyris verò memoriam, & tota regio mota*

(a) *Lib. 22. de Ciuit. Dei, c. 8.*

est, & ad illius festum diem vrbs vniuersa immutata gestit: neq; cognati diuitum ad maiorum suorum sepulchra declināt, sed omnes, ad pietatis locum tendunt. Et D. Gregorius itidem Magnus (b) *Ad horum* (Processi & Martiniani) *corpora ægri veniunt*, inquit, *& sanantur: dæmoniaci veniunt, & curantur: periuri veniunt, & à dæmonio vexantur.* Sic & Concilium Basiliense, (c) beatorum Petri & Pauli ac innumerabilium Christi Martyrum corpora Romæ quiescere confitetur, & ad eorum Reliquias visendas deuotionis gratia cunctos hortatur Christicolas.

(b) *Hom* 32.

(c) *Session.* 23.

Martyrum templa, inquit Theodoretus, (d) *per annum non semel aut bis aut quinquies aduentamus: piè verò fideliterque precatos, ea maximè consequi quæ desiderant testantur illa quæ votorum rei dona persoluunt; manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia.* Pergit deinde, & dona narrat valetudinis redditæ. Eadem lego apud Eusebium Cæsariensem (e): *Hæc autem consentanea sunt in obitu amicorum Dei; quos si dixeris assumi milites veræ religionis, non errabis. Idcircò, & ad illorum memorias ire solemus, & apud illas vota facere, beatasque ipso-*

(d) *Lib.* 8. *Græc. affectio.*

(e) *De præp. Euang. lib.* 13. *cap.* 7.

ipſorum animas honorare: & meritò, cum horum omnium fructus ad nos vſque pertingant. Refert idem Euſebius (f) ad S. Polycarpi ſepulchrum, poſtquam martyrio coronatus eſt, fideles de remotis regionibus adueniſſe. Vnde & Anacletus I. in decreto, quod allegat Gratianus: (g) *Iuxta ſanctorum Patrum & Canonum inſtituta,* ait, *omnes Epiſcopi, qui huius Apoſtolicæ ſedis ordinationi ſubiacent, & qui propinqui ſunt, annue circa Idus Maij ſanctorum principum Petri & Pauli liminibus præſententur, omni occaſione ſepoſita, &c.* Eadem Syricius I. epiſtola quarta, quæ lecta eſt in Concilio Telenſi, vbi peregrinationes ad ſanctorum Apoſtolorum limina commendat. Denique ſatis conſtat de peregrinatione ad loca ſancta Hieroſolymæ omnium antiquorum ſcriptis commendata, quæ hic ſtudio præterimus, de alijs locis vbi ſanctorum Reliquiæ viſuntur, acturi: de quibus noſter S. Ioannes Damaſcenus verbis quaſi tribus ſed diuite ſententiarum & veritatis pondere grauidis: (h) *Honorandi certe ſunt Sancti; & quidem ita vt in eorum nomine templa Deo extruamus, dona offeramus; eorumq́; memoriam colamus, atq́; in ea ſpiritualiter oblectemur.* templa, dona, memoriarum cultum & gratantis animi oblectamenta tradit.

In

(f) *Lib. 3. c. 15. Hiſt. Eccleſ.*

(g) *Diſt. 93. c. Iuxta.*

Vide quomodo non nouum eſt, quod iam Apoſtolicus ille Pontifex ſuo tempore obſeruatum narrat.

(h) *Orthod. Fidei. lib. 4. c. 16.*

In eandem sententiam D. Ambrosius ita scribit: (i) *An putatis illum ieiunare fratres, qui primo diluculo non ad Ecclesiam vigilat, non beatorum Martyrum loca sancta perquirit, sed surgens congregat seruulos, disponit retia, canes producit, saltus syluasque perlustrat?* Sic item canit Prudentius. (k)

(i) Serm. 33.

(k) Hymno de S. Hippolyto.

Manè salutatum concurritur: omnis adorat
Pubes: eunt, redeunt solis adusq; obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul ac peregri-
Permistim populos religionis amor. (nos
Iam cum se renouat decursis mensibus annus,
Natalemq; diem paßio festa refert;
Quanta putas studijs certantibus agmina cogi,
Quaeûe celebrando vota coire Deo?

Iterumque: (l)

(l) Hymno de S. Hemiterio & Chelidonio.

Hic calentes hausit vndas, cæde tinctus duplici,
Illitas cruore sancto; nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes voce, votis, murmure.
Exteri nec non, & orbis huc colonus aduenit.
Fama nã terras in omnes præcurrit proditrix,
Hic patronos esse mundi, quos precantes ambiant.

Accurrentium frequentiam, voce & votis obsecrantium, orbis patronos, auxiliarem ambitum, omnia denique in his Martyribus discis. De se Sulpitius: (m) *Ante*

(m) De Virtut. mon. Orient. dial. 1. c. 2.

Ante hoc triennium, vbi Narbonâ nauim soluimus, adeò prospera Dei nutu nauigatio fuit: lubuit animo adire Carthaginem, loca visitare Sanctorum, & præcipue ad sepulchrum Cypriani martyris adorare.

Ad sepulchrum Cypriani supplicem vides Sulpitium, venerantem, & adorantem. Oculatus hac in re testis Paulinus Nolanus, sui temporis res scribit de sancto Felice. (n)

(n) Natal 8.

Omni namq; die testes sumus, vndiq; crebris
Cœtibus aut sanos gratantia reddere vota,
Aut ægros varias petere ac ambire medelas.
Cernimus & multos peregrino à littore vectos
Ante sacram sancti prostratos Martyris aram,
Dum referunt grates, tolerata referre pericla,
Testantes validis concisâ naue procellis
Se raptos, miserante Deo, Felicis & ipsâ
Educente manu, maris emersisse profundo.

Et iterum: (o)

(o) Natal. 9.

His igitur vicinus erit, quicunque supernis
Castus eget tectis, & qui procul aduena recto,
Percitus affectu sanctas properauit ad ædes.

Peregrinationes ad sancta limina commendat etiam antiquus Auctor apud D. Ambrosium, dum de sepulchro S. Agnetis loquitur: (p) *Factum est,* ait, *vt nullus penitus ex eo aduenientibus ad sepulchra sanctorum,*

(p) Serm. 90. de pass. S. Agnetis.

rum, aliquas molestias excitaret. Et infra, vbi de Constantia Constantini filia loquitur, ait: *Accepto consilio spe recuperandæ salutis, venit ad tumulum Martyris nocte; & licet Pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat.* Idem refert & D. Ioannes Chrysostomus oratione in SS. Martyres Iuuentium & Maximum: *Idcirco*, ait, *sæpe eos inuisamus, tumulos adornemus, magnaq; fide Reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionem assequamur. Proinde magna fide promptitudineq́; huc veniamus, quo & visis sanctorum monumentis, & consideratis eorum præmiis, inde varios thesauros vndiquaque colligamus.* Præterea narrat Nicephorus Callistus (q) Ammonium virum sanctissimum, comitatum Athanasium Magnum Romam, *Qui ex præclaris*, ait, *præcipuisq́; eius vrbis rebus non aliud spectandum sibi censuit, quam Petri & Pauli martyrium, & ædem eam, in qua illorum corpora, veluti thesaurus, sunt condita*, &c. Hinc D. Augustinus, (r) narrat indixisse Bonifacio presbytero & alteri cuipiam, qui cōmiserant aliquod facinus, vt ad expiationem illius, peregrinationem sanctam susciperent. *Elegi*, ait, *aliquid medium, vt certo placito se ambo constringerent ad locum sanctum*

(q) *Lib.* 11. *c.* 27. *hist. Eccles.*

(r) *Epist.* 187.

ctum se peregrinaturos, &c. Idem alibi: (s) *Ad aquas*, ait, *Tibilitanas, Episcopo afferente Proiecto Reliquias Martyris gloriosissimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concursus, & occursus, &c.*

(s) *Lib. 22. de Ciuit. Dei c. 8.*

Deniq; etiam olim frequentatas fuisse peregrinationes demonstrat Galla Placidia Augusta, epistola ad filiam Pulcheriam, quæ ponitur in limine Concilij Chalcedonensis. *Vt Romam*, ait, *frequentibus concursionibus adæquè desideremus aspicere, causa nobis est amplectendæ religionis, vt terminis sanctorum nostrā exhiberemus præsentiam, quos certum est pro suâ virtute in cœlestibus constitutos, neque inferiora despicere. Nos itaque sacrilegum esse credimus, si solennium ordinem denegemus. Cum igitur beato Apostolo Petro nostram præsentiam dedissemus, &c.*

Eadem Valentinianus Imperator epistolam præcedentem sequenti ad Patrem Theodosium, eadem, quæ & Galla Placidia se fecisse memorat, scilicet visitasse limina Apostolorum. Deniq; Ennodius Diaconus libro Apologetico pro Symacho & Synodis sub eodem celebratis, ait: *Ad sepulchrum Apostoli Petri ex omnibus orbis cardinibus deuoti perueniunt. Dicatis forsitan*

sitan Apostoli genio decerpi, si putatur cœli ciuis terrarum locis includi. Tu tamen quamuis benedictio poscentibus vbique præstetur, & exigat præsentiam Martyris, fides & deuotio supplicantis, negari non potest, diligentiæ natali solo plus tribui, & maiorem affectum loca impetrare, de quibus ad superna transitur. Quam fidem allegationi curationum iam præstitit multitudo, & vtitur post obsidionem diabolicam testibus iam sanatis. Hæc licet per Redemptorem nostrum in toto orbe celebrentur, est tamen non modica monumenti illius per frequentiam comparata nobilitas: quia per eum qui hominem mutauit in Angelum, illustrari potuit natura telluris. Vnde & Palladius,(t) loqués de beato Philoromo, ait: *Qui pedestre iter omne conficiens Romam vsq; peruenit, atque in Ecclesia sancti Petri Paulique orationibus factis, rursus ad Alexandriam pedester remeauit. Vbi iterum precem fudit in basilicâ Martyris Marci, Hierosolymæ etiam secũdo fuit pro honore Sanctorum locorum, propriisque semper sumptibus ac pedibus Martyres sanctos in omnibus sufficienter honorauit.*

(t) *Cap. 32. Paradisi. de Vit. SS. PP.*

De S. Nicetio Gregorius Turonensis: (t) *Aigulphus Diaconus noster, Româ veniens beata nobis Sanctorum pignora deferebat. Hic causâ*

(v) *In Vitis Patrum c. 8.*

caussâ orationis tantùm, locum quo Sanctus quiescit, adiuit; ingressusque ædem dum diuersorum miraculorum opus illustre perpendit, vidit immensum cateruatim populum ad eius sepulchrum, velut felicium examina apum ad consuetum alueare confluere; & alios presbytero qui aderat ministrante, particulas ceræ pro benedictione sumere; alios parumper pulueris, nonnullos disruptas ab opertorio eius fimbrias capere & abire, ferentes in disparibus caussis vnam gratiam sanitatis. Immensum populi concursum, cereas benedictiones, pusillum puluerem, fimbrias frustratim defloccatas hîc leges, & medicabula omnia.

Porrò Platina in vita Gregorij II. docet, quod Dux Baioariorum Theodo primus ex ea gente Apostoli Petri limina visitauit. De quo hæc Marcus Velserus II. vir Augustanus: (x) *Magnâ apud finitimos principes potentiæ famâ fuit Theodo, armis virisque validus, tum egregiâ trium adolescentum filiorum indole felix, Moribus ipse ad omnem virtutis laudem compositis, pietate in Deum nulli maiorum secundus, primus Boiorum religiosam peregrinationem ad Apostolorum limina instituit.* (y) *Romam venisse Gregorio secundo Pontifice indictione decimâ*

(x) *Rer. Boic. lib. 4.*

(y) *Paul. l. 4. c. 46. an. 716.*

(z) In Greg. 2. *quartâ ab Anastasio annotatum est.* (z) *Quo paullo ante Anglici reges eâdem de caußâ venerant,* (a) *& exemplum valuisse putandum, ne in Italiæ propemodum vestibulo positus, ab extremis Britannis isto officij genere vinceretur.* Et Nicolaus I. epistola ad Michaëlem Imperatorem, circa medium, ait. *Tanta millia hominum protectioni ac intercesßioni beati Apostolorum Principis Petri ex omnibus finibus terræ properantium sese quotidie conferunt, & vsque in finem vitæ suæ apud eius limina semet mansura proponunt, præter illud quod vas è cœlo submissum, in quo cunctorum ostensa sunt eidem Petro horum omnium rectori animantium genera, Catholicam signat Ecclesiam, etiam ipsa Romanorum vrbs sola, apud quam eiusdem Apostoli corporalis præsentia sedulè veneratur, ipsius vasis cunctas dignoscatur in se continere vniuersorum animalium (quæ homines spiritualiter intelliguntur) nationes.* Vnde modò citatus noster Venerabilis Beda, (b) Vilfridum Episcopum sanctorum Apostolorum limina adijsse commemorat peregrinationis ergò. Rursum ait: (c) *Ceaduualla Rex Occidentalium Saxonum, cum genti suæ duobus annis strenuißimè præfuisset, relicto imperio pro-*

(a) *Beda in epit. an. 688. Ceaduuallam & anno 709. Concredum Romam venisse narrat. Idem habet hist. Eccles. l. 5. c. 7. & c. 20. Vbi Hunc præterea & Offam adiungit.*

(b) *Hist. Angl. lib. 5. c. 20.*

(c) *Ibid. c. 7.*

propter Dominum, regnumque perpetuum, venit Romam, hoc sibi gloriæ singularis desiderans adipisci, vt ad limina beatorum Apostolorum fonte baptismatis ablueretur, in quo solo didicerat generi humano patere vitæ cælestis introitum. Igitur ad limina Apostolorum, Gregorio Pontificatum tenente, profectus est, cupiens in viciniâ sanctorum locorum ad tempus peregrinari in terris, quo familiarius à sanctis recipi mereretur in cœlis. Idem: (d) *Vilbrod,* inquit, *Romam venire, ad videndu atque adorãda Beatorum Apostolorum ac Martyrum Christi limina, cogitauit, &c.* Et Gregorius III. epistolâ primâ ad Episcopos & presbyteros omnium prouinciarum, memorat quomodo Bonifacius Moguntinensis Martyr peregrinationem ad limina Apostolorum, orationis caussa, susceperit, & eadem repetit epistolâ secundâ ad Clerum & populum Germaniæ. Denique in vita Zachariæ I. Papæ legitur quod Rachis Longobardorum Rex cum vxore & filijs B. Petri limina petiuit, & benedictione percepta à Pontifice se monasterio dedit. Porrò in Concilio Generali VII. actione V. narratur coram patribus, de quodam viro, qui studiosus martyrum, nunc in Ephesum ad diuum Ioannem properabat, nunc ad S. Theodorum

(d) *Ibid. c.* 10.

in Eucharta, nunc ad S. Teclam in Seleuciam, vel in Araphas ad D. Sergium, vel Hierosolyma adorandæ crucis gratia, & sancta loca, vel in montem Sinai orandi caussa, vel ad Martyres longe ab Hierusalem distantes. Vnde & Gregorius I. epistola ad Eusebium Thessalonicensem Episcopum. *Si Theodorus lector*, ait, *ad orationem huc ad sanctos Apostolos venire voluerit, eum fraternitas vestra sine aliqua mora transmittat*, Demum Concilium Lateranense sub Iulio II. (e) summopere commendat peregrinationes ad sanctas Romanæ vrbis Reliquias. Vnde Concilium Moguntinum IV. (f) *Peregrinationes*, ait, *ad certas Sanctorum Reliquias, aut ad templa memoriis eorum dicata, vel ob id Christiano populo censemus permittendas, vt ex ipsorum locorum admonitione, homines ad imitandam Sanctorum fidem, pietatem, & constantiam vehementiori affectu incitentur, & vt maiori deuotione se meritis Sanctorum sociari, & precibus eorum adiuuari postulent: dum modo sedulo caueant pastores, ne vspiam incertæ reliquiæ, aut nouæ sine Ecclesiæ authoritate, aut ne vllæ etiam ad quæstum proponantur, & ne concursus superstitiosi ad statuas, prophanis potissimum locis sitas, aut priuata authoritate ere-*

(e) *Seßion*. 1.

(f) *Cap*. 44.

erectas, fiant Hæc confirmat Facultas Louaniensis, (g) & Parisiensis. (h) *Sanctè & religiose faciunt, qui deuotione speciali Sanctorum loca adeunt, & visitant vbi eorum venerantur Reliquiæ, & humiliter eis supplicant, vt per huiusmodi peregrinationis meritum auxilio & solamini adsint.*

(g) art. 28.
(h) art. 14.

Porrò multa alia possem hic proferre testimonia pro confirmatione peregrinationum ad sancta limina, sed hæc sufficere mihi visa sunt, vbi addidero versus nonnullos Fortunati Pictauiensis Episcopi, qui in conclusione libri vitæ S. Martini, recenset quæ in diuersis regionibus asseruētur beatorum Martyrum & Confessorum corpora, & honorificè Reliquię conseruentur, librumq́; sic alloquitur.

Varia loca SS. corporibus decorata.

Contentus tantum Turonum pete mænia supplex
(cerdos,
Qua Martinus habet veneranda sepulchra Sa-
Cuius honor tumuli faciat sua rura tueri,
Qui pietatis opem tribuat, &c.
Indè Parisiacam placidè properabis ad arcem,
Quā modo Germanus regit, & Dionysius olim,
Si pede progrederis, venerato sepulchra Remedi,
Atq; pij fratris cōplectere templa Medardi, &c.
Inde Rauennatem placitam pete dulcius vrbē,

Pulpita Sanctorum per religiosa recurres,
Martyris egregij tumulum Vitalis adora,
Mitis & Vrsicini, Pauli sub sorte beati.
Rursus Apollinaris pretiosi limina lambe,
Fusus humi supplex, & tēpla per omnia curre.
Expete Martini loculum, quo iure sacelli
Iam desperatum lumen mihi reddidit auctor.

Capvt XI.

AN RECTE FACIAMVS SACRAS RELIQVIAS TAM *demistè venerando?*

PRocumbimus autem, deosculamur hunc puluerem, qui olim Deo seruiuit, & aliquando *resurget, immutabitur*, cum Christo regnabit. Sic inter veteres clarè Origenes prolocutus est: (a) *Incipiam me genibus prosternere, ac deprecari vniuersos Sanctos, vt mihi non audenti petere Deum propter nimietatem peccati, succurrant. O Sancti Dei vos lachrymis & fletu pleno dolore deprecor, vt procidatis misericordijs eius pro me misero.* Prosternit se genibus Origenes, deprecatur, fundit lachrymas doloris testes, deprecationes deposcit. Sic etiam piè Eusebius Alexandrinus: (b) *Ob hanc igitur causam præcipit nobis celebrare me-*

(a) *In Lamēto.*

(b) *Hom. de Sanct. colendis.*

memorias Sanctorum, vt acceptis hymnis & auditis laudibus Deum exorent, vt preces nostras caducas admittat. Oportet igitur vt qui memorias Sanctorum celebramus, multâ religione & reuerentiâ eas celebremus. Fortiùs etiam Chrysostomus, & eleganter à purpurâ & diademate sententiam nostram firmat: (c) *Nam & ille qui purpuram gestat, ad sepulchra illa se confert, vt ea exosculetur. Abiectóque fastu suppex stat, Sanctósque obsecrat, vt ipsi apud Deum sibi præsidio sint, atque vt & tentoriorum opificem, & piscatorem, & quidem fato functos, patronos habeat, precibus is contendit, qui diademate cinctus est. Ergóne, dic quæso, horum Dominum mortuum dicere audebis, cuius serui etiam defuncti eorum, qui vniuersi orbi imperant, patroni ac defensores sunt?* Supplex hîc purpura est, cineri submittit fasces, fatóque functos patronos ambit. Dignum cœlestibus spectaculum, diademate videre candidata, orbisque Dominos posito fastu Sanctorum aduolui genibus, præsidia ab his sperare, imperiorumque tuitiones: à Petro & Paulo, à piscatore qui retia vertit ab Oceano & flumine in animarum meliorem capturam; cui de figurâ suâ Dominus, de petrâ nimirum, nomen communicauit, supra quam ædi-

(c) *Hom. 26. in 2. Cor. in Moral.*

Etiam Imperatores ad SS. sepulchra procumbunt.

ficaret Ecclesiam suam, cœlorumq; claues, soluendi & alligandi in cœlis & terris potestatem concessit; quem denique passioni suæ adæquauit, cum de negatore caput statuisset Ecclesiæ: à tentoriorum opifice, qui de persecutore defensor, cùm primus Ecclesiæ sanguinem fudisset, gladium stilo mutans omni machærâ violentiùs Palæstinam scidit & nationes gentium, deputatus à Domino in pressuram & tolerantiam, in carceres, in flagra, in lapides & naufragia, in Tribunorum & Procōsulum tribunalia, in Regūm auditoria, in gladium Cæsaris. Hos ergò iam olim penes Iudæam pecora iugulationis, Chrysostomus Reges narrat exoptare patronos.

Quid, quod & ad vincula & catenas supplicem videamus Chrysostomum?(d) *Adsis huic templo miraculorum promptuario, quod sanctâ nominis tui appellatione præcipuè honoratur: in quo venerandas catenas tuas, vt thesaurum quemdam reponi voluisti,* & infra: *His catenis nostrarum animarum vulnera, quæso, liges: his tumores & inflationes à delictis illatas, reseces, & diuinis medicamentis eas cures.* Medicas has animorum catenas veneratur Chrysostomus, quid facient Sancti, quid ossa & cineres domicilium aliquando cœlo receptarum anima-

(d) *Ser. in adorat. B. Catenar. S. Petri.*

marum, & de meritorum & præmiationis societate validi, si vulneribus, liuoribus, tumoribus catenæ medentur?

Sed obgannient, nescio qui, huiusmodi supplices cultus, Sanctorum, & Reliquiarum esse genus quoddam *adorationis*, ac proindè illis minimè conuenire. Respondetur: Rectè quidem nomen hoc, si propriè accipiatur, ad Latriæ cultum constringi, testante sacra Scriptura: (e) *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, vti locum (f) Ambrosius interpretatur. Nec semel Ioannes Apostolus (g) ab adoratione Angeli reuocatur ac Deum adorare iubetur. Ipsi enim Sancti, vel homines, vel Angeli exhiberi sibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt, vt loquitur Augustinus. (h)

Adoratio proprie & rigide non nisi Deo debetur.

(e) *Deut.* 6. & 10.

(f) *Lib.* 3. *de Spiritu sancto cap.* 12.

(g) *Apoc.* 19. & 22.

(h) *Lib.* 20. *cōtra Faustum cap* 21.

Attamen eadem *latriæ adoratio* non sic Deo tribuenda, vt non etiam alia *duliæ* concedatur, quam liceat Sanctis eius exhibere. Idem enim partim Scripturæ testimonijs, partim Veterum sententijs aduersatur. Nam è sacris literis euidenter apparet, quòd complures, vt Abraham Patriarcha, (i) eiusque nepos (k) Loth, Iosue (l) Israëlitarum Dux, Gedeon, (m) princeps, & Daniel (n) Propheta sanctos Angelos adorauerint: nec dubitauit Saul (o) Rex Prophetæ sancto Samueli, qui in spi-

Scriptura docet etiam sanctos adorari.

(i) *Genes.* 18.

(k) *Genes.* 19.

(l) *Iosue* 5.

(m) *Iud.* 6.

(n) *Dan.* 10.

(o) 1. *Reg.* 28.

Viui viuos etiam in scripturis adorasse leguntur.

spiritu ei apparuerat, hunc honorem tribuere, vt inclinaret se super faciem suam in terrâ eumque adoraret. Immo verò in scripturis est frequens, vt viui viuos adorasse dicantur. Fecit hoc (p) Nathan Regi Dauid, Iacob (q) fratri Esau, Moyses (r) socero suo Iethro, Dauid (s) amico Ionathæ; imò (t) Abraham filios Heth, quamuis Ethnicos adorauit. Idem de Iacob (u) dici potest, qui Regem Pharaonem impium adorauit: licet noster interpres paulò aliter locum verterit, & *adorationis* vocem, quam Græci agnoscunt, prætermiserit. Tam latè patet nomen adorationis, siue Biblia Hebraica, siue Latina consulamus, & tantundem propemodum, quantum veneratio quædam externa cum rei amatæ desiderio coniuncta designat; siue illa fiat nudato capite, siue inclinato corpore, aut prorsus prono, atque etiam osculo.

(p) 3. *Reg.* 1.
(q) *Gen.* 34.
(r) *Exod.* 18.
(s) 1. *Reg.* 3.
(t) *Gen.* 23.
(u) *Gen.* 47.

Olim vsitatũ fuisse Christianis in tẽplis & ad aras, Reliquiasq́ sanctorũ procumbere, seq́ inclinare.

Certè D. Augustini seculo Christiani sine vitio, & cum laude, nec sine flexione genuum Petrum Apostolum suo modo in Ecclesiâ adorarunt; quemadmodum hæc eiusdem S. Augustini verba commonstrant: (x) *Beatissimum Petrum piscatorem modò genibus prouolutis adorat gentium multitudo credentium*, Laudat (y) præterea Imperatorem, qui submisso diadema-

(x) *Serm.* 25. *qui est* 1. *in festo Petri & Pauli.*
(y) *Epist.* 42. *ad Mundac.*

demate ad ſepulchrum piſcatoris Petri ſupplicauerit, nimirum Theodoſium intelligens, qui ante Martyrum & Apoſtolorum thecas iacebat cilicio proſtratus, & auxilia ſibi fida Sanctorum interceſſione poſcebat, quemadmodum hiſtoria docet Eccleſiaſtica. (z) Eodem ſpectat D. Chryſoſtomi oratio, (a) affirmantis, ſeruorum Crucifixi ſepulchra regijs aulis eſſe clariora. *Nam & ipſe qui purpuram indutus eſt, accedit illa complexurus ſepulchra, & faſtu depoſito ſtat Sanctis ſupplicaturus, vt pro ſe apud Dominum intercedant.* Quid autem hoc aliud eſt, obſecro, quàm quod Latini, Græci & Hebræi dicunt *adorare?* Tertulliani ætate, qui peruetuſtus eſt, Chriſtiani de more *aris adgeniculabantur,* (b) ac Hieronymi ſæculo vulgatum erat, vt ſacris Reliquijs cereorum lumen, & quidam adorationis ſiue venerationis cultus publicè adhiberetur, quantumuis Eunomius & Vigilantius damnati Eccleſiæ hoſtes impiè oblatrarent. Tum ſui temporis morem indicat Prudentius, cum de S. Hippolyti templo canit:

(z) *Lib.* 11. *c.* 33.

(a) *Hom.* 66. *ad Pop. Antioch.*

(b) *Lib.* 1. *de Pænit.*

Olim mos erat aris adgeniculandi, & ſacras Reliquias adorandi.

Mira loci pietas, & prompta precantibus ara,
Spes hominum placidâ proſperitate iuuat,
Hîc corruptelis, animiq́ue & corporis æger,
Oraui quoties, ſtratus opem merui.

Quis

Quis ergò miretur, aut vllo modo indignum censeat, quòd iuxta veterum morem SANCTOS ADORARI posse dicamus, nosque ob eorum honorem in orando submissè geramus, vt mentis reuerentiam, externo etiam corporis habitu, & pijs quibusdam ritibus contestemur? Etenim ADORATIONIS honor, non modò Deo & Sanctis, sed etiam, sicut diximus, & Augustinus (c) confirmat, hominibus honorificentiæ causa potest exhiberi, saluâ semper illâ regulâ. *Honoramus Sanctos charitate, non seruitute Latriæ, quâ Creatori, non creaturæ seruiendum est.* Finio cum Prudentio: (d)

O ter quaterque, ô septies
Beatus Vrbis incola;
Qui te, ac tuorum cominus
Sedem celebrat ossium:
Cui propter aduolui licet;
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure.

(c) *Super Exod. quæst. 69. Et lib. 1. de Trinit. cap. 6. Deut. 6. & 20.*

(d) *De S. Laurentio.*

CA-

CAPVT XII.

AD SANCTORVM CORPORA, ET RELIQVIAS HORRERE dæmones & vrgeri.

CRedimus adhæc ad Reliquiarum viciniam, dæmones angi, torqueri. Nec ideò ſimplices, ac creduli vocandi ſumus. Nobis ad hoc magiſtra Eccleſia, & vetuſtiſsimi Patres authores ſunt. Hinc D.Hieronymus: (a) *Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt?* Ac iterum idem: *Itaque nolo mihi dicas, Signa infidelium ſunt; ſed reſponde: quomodo in viliſſimo puluere & fauillâ neſcio quâ, tanta ſit ſignorum virtutumque præſentia. Sentio, ſentio, infeliciſſime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iſte immundus, qui hæc te cogit ſcribere, ſæpè hoc viliſſimo tortus eſt puluere, imò hodiéque torquetur: & qui in te plagas diſſimulat, in ceteris confitetur. niſi fortè in morem Gentilium impiorumque Porphyrij & Eunomij, has præſtigias dæmonum eſſe confingas, & non verè clamare dæmonas, ſed ſua ſimulare tormenta.* Do conſilium; *ingredere baſilicas Martyrum, & aliquan-*

(a) *Aduerſ. Vigilant. Aurea D. Hieronymi contra Reliquiarum contemptores ſententia.*

quando purgaberis. inuenies ibi multos socios tuos, & nequaquam cereis Martyrum qui tibi displicent, sed flammis inuisibilibus combureris, & tunc fateberis quod nunc negas. Eius item præceptor S. Gregorius Nazianzenus: (b) *Quibus præclari honores & festa cõstituta sunt, à quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur.* &c. Et alibi: (c)

(b) Orat. 3. quæ est. 1. in Iulian.

(c) Iambico 18. *Quod est de Virtute.*

Meminisse nam vel Martyrũ solum, vt reor,
Affert salutem. Quid febres ac dæmones
Mirum hinc fugatos in modum recenseam?
Quin & sepulcra, sacra vbi olim corpora
Iacuere, prauos spiritus pellunt procul.
Hæc mira pugiles in dies patrant mei.

Sanctus quoque Paulinus Nolanus:

Ecce vides tumulum sacra Martyris ossa tegentem,
In spem non vacuam rediuiuæ condita vitæ.
Vnde igitur tantus circumstat limina terror?
Quis tantos agit hîc populos? quænam manus vrget
Dæmonas, inuitósque rapit? frustraq́; rebelli
Voce reclamantes, compellit adusq; sepulchrum
Martyris, & sancto quasi fixos limine sistit?
- - - - - - - cum gratia tanta sepultos
Ambiat, & quanto rediuiua decore micabunt
Corpora, in obscuris cum sit lux tanta fauillis?

D.

D.Chryſoſtomus etiam: (d) *Ea eſt Sanctorum poteſtas, vt illorum ſuperſtitum dæmones ne vmbras quidem aut veſtes ferre poßint; vitâ autem functorum loculos quoque reformident. Itaque ſi quis quæ ab Apoſtolis facta fuiſſe prædicantur, fidem non habet, is tandem memoriæ huius miracula intuitus* (de Babylâ loquitur) *ab impudentiâ deſiſtat.* Et rurſum: *Babylas os dæmonis ita obſtruxit, vt vel lapidibus magis mutus redderetur. Et quidem manentem ibi dæmonem ſuperauiſſe non minus fuit, quam ſi eundem à loco exegiſſet: cùm qui loci illius accolis omnibus fucum priùs faceret, ne extincti quidem Babylæ cineres contueri ſuſtineret.*

(d) Contra Gentiles.

En quantum dæmones horreant SS. Reliquias.

Cùm propalata & effoſſa (corpora SS.Geruaſij & Protaſij) *digno cum honore transferrentur ad Ambroſianam baſilicam, nō ſolùm, quos immundi vexabant ſpiritus, confeßis eiſdem dæmonibus ſanabantur, &c.* inquit D.Auguſtinus (e).

(e) Lib.6.Cōf. cap. 7.

Paula & Euſtochium, imò D.Hieronymus nomine ipſarum affirmat (f) & ſcribit, Diabolum & Angelos eius expelli de obſeſsis corporibus, quotieſcunque ante Domini ſepulchrum ſiſtuntur, eosq; quaſi in conſpectu tribunalis Chriſti ſtantes contremiſcere, rugire, & ſe dolere cruciſi-

(f) Epiſt. ad Marcellam.

cifixisse, quem coguntur timere. Idem in Epitaphio Paulæ matris ad Eustochium virginem testatur, ad sepulchra Helisæi, Ioannis Baptistæ, atque Abdiæ rugire dæmones consueuisse. Huius verba sunt: *Cùm venisset Paula Sebasten, id est, Samariã, vbi siti sunt Helisæus, & Abdias Prophetæ, & Ioannes Baptista, multis intremuit consternata mirabilibus. Namque cernebat varijs dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulchra Sanctorum vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum: alios rotare caput, & post tergum terram vertice tangere, suspensisque pede fœminis vestes defluere in faciem. Miserebatur omnium, & per singulos effusis lacrymis, Christi clementiam deprecabatur.* Supra memoratus D.Chrysostomus, (g) affirmat *diabolos exhorrere, & fugere ipsas catenas, quæ licet ferreæ sint naturæ, Diuinâ tamen gratiâ & potentiâ plenæ sint, & ab his dæmonum praui spiritus illigati enecantur. Ipsa sanctorum ossa*, eodem Chrysostomo teste, (h) *dæmones sistunt, ac torquent, & à vinculis illis acerbißimis vinctos liberant. Quid hoc tribunali terribilius? Cùm nullus videatur, nullus immineat dæmonis lateribus, clamores, dilacerationes, flagella, tormen-*

(g) *Serm. de Vener. caten. Petri.*

(h) *Hom. 26. in 2. ad Corinth.*

menta, dæmone non ferente admirabilem illam virtutem. Et qui corpora gestarunt, incorporeas superant potestates. Puluis, ossa, denique cineres inuisibiles illas affligunt naturas. Similia scribit alibi. (i) Ita Simeon Metaphrastes recitat in vita SS. Cyri & Ioannis, quod vicus quidam à Canopo ciuitate duorum stadiorum spatio distans, quem Manuthe nominabant, erat malignorum spirituum insidijs infestus omnibus, quem Theophilus Præses Alexandrinus sæpenumero ab ea peste liberare voluerat, sed morte tandem præuentus quod tota menta meditabatur, ad exitum perducere non potuit. Huic Cyrillus successit, qui cum pari diligentia in eam rem incumberet, & vota & preces ardenti studio Deo nuncuparet, vt viam modumque ostenderet, quo malignorum hostium cateruam ex eo loco profligare posset, Angelus Domini ei in visione apparens mandauit, vt sacra Martyrum Cyri & Ioannis corpora vna cum sanctissimi Marci Euangelistæ Reliquijs in eum locum transferrent, quorum præsentiâ dæmones continuò in fugam verterentur. Hac itaque occasione sacræ Martyrum Reliquiæ translatæ sunt, & locus omnipotenti Deo cum maximo totius populi gaudio consecratus est.

(i) Hom. 66. ad PP. Antioch.

(k) Ian. 31.

Sanctarum Reliquiarum præsentia dæmones fugantur.

Insignis apud D. Augustinum locus est, (l) quem huc transferre non piget: *Vbique quidem Deus est, & nullo continetur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens in occulto etiam iustificet, & coronet. Veruntamen ad ista quæ visibiliter hominibus nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari; quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? Multis enim nota est sanctitas loci, vbi beati Felicis Nolensis corpus conditum est, quo volui vt pergerent* (nempe Bonifacius Presbyter fædi criminis arcessitus, cum suo delatore) *quia inde nobis facilius, fideliúsque scribi potest, quicquid in eorum aliquo fuerit propalatum. Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam qui ad eum locum venerat, vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere.*

(l) *Epist.* 137. *ad Cler. & Plebem Ecclesiæ Hipponensis.*

CA-

CAPVT XIII.

SANCTARVM RELIQVIARVM CVLTVS A DEO MIraculis approbatus.

SEd ad miracula toto orbe ad ſacrarũ Reliquiarum non dicam contactũ, ſed limina & vrnas perpetrata veniamus. Clamat inter Græcos Auctor quidam ſub nomine Iuſtini Martyris: (a) *Sanctorum corpora & ſepulchra Martyrum, & dæmonum amoliuntur inſidias, & morborum ab arte medicâ comploratorum conferunt ſanationes.*

(a) *Quæſt. 28. Morbi Reliquiis curantur.*

Corpora & Sanctorum ſepulchra, dæmones amoliri; deploratáſque inualetudines remediare docet hîc Auctor prædictus. *Vt autem non ſolùm anima Sanctorum honoretur*, inquit Cyrillus Hieroſolymitanus, (b) *credatúrque quòd etiam in corporibus mortuorum ineſt virtus, ſeu potentia, iacens in ſepulchro Heliſæi mortuus, mortuúmque corpus Prophetæ attingens, viuificatus eſt: atque ita mortuum iacénſque vitam præbuit defuncto, exhibenſque alteri vitam, ipſum nihilominus mortuum permanſit. Quâ de cauſa?* Ne *ſi ſurrexiſſet Heliſæus, factum id ſoli animæ aſcribatur, & vt demonſtretur, quod abſente etiam anima ineſt virtus quæ-*

(b) *Catecheſ. 18. illuminatorum.*

dam eiusmodi corporibus Sanctorum, *propter tot annorum inhabitatas in illis animas iustas quorum ministerio vsæ sunt. Neque verò diffidamus, vt rerum ignari, fieri istud. Si enim sudaria & semicinctia extra corpus existentia, contacta ab ægrotis liberabant illos ab infirmitate: quanto magis corpus ipsum Prophetæ mortuum excitauit? Sunt quidem alia multa quæ dicamus in hanc sententiam, sed singula eiuscemodi præter opinionem facta persequenda essent.* Eandem ob causam sanctus noster Damascenus, ita scriptum reliquit: (c) *Fontes*, inquit, *nobis salutares dominator Christus præbuit Sanctorum Reliquias, multimoda beneficia scaturientes, vnguentum suauitatis emanantes, & nullus discredat. Si enim ex rupe (d) & firmo saxo (e) aqua in heremo prosiluit volente Deo, & ex maxilla asini Samsoni sitienti: (f) ex Martyrum Reliquijs vnguentum suaueolens emanare incredibile est? Nullo pacto profectò his qui sciunt Dei virtutem, & ab ipso Sanctorum honorem, &c.* Nonnullas historiolas exempli causâ inseremus. Presbyteri Achaiæ in historiâ Martyrij S. Andreæ Apostoli, & Abdias Babylonius, (g) testantur miracula fieri ad locum vbi sepultus est Apostolus Andreas, & eius veneranda ossa fideli-

(c) Lib. 4. de Orthod. fide cap. 16.

(d) Exod. 17.
(e) Num. 20.
(f) Iudic. 15.

(g) Lib. 3. certam. Apost.

delium deuotione frequentari. Idem Abdias, (h) (si tamen tutò fides huic Auctori haberi potest, nō enim ab omnibus recipitur) & cōfirmat Simeon Metaphrastes in vita S. Ioannis Euangelistæ, Eusebius, atque Nicephorus, alijq; multi referunt, Ioannem Apostolum interrogasse quendam, qui S. Drusianæ corpus mortuum temerare tentauerat. *Vtrum temeritatis suæ* (sic enim loquitur) *circa Reliquias plenas venerationis & gratiæ aliquem habere potuisset effectum. Ille autem ab irruente se fassus est serpente prohibitum.* Denique referunt adhuc, quòd ex sepulturâ Ioannis seu sepulchro manna exiens apparuit cūctis. *Quā,* aiunt, *vsq; hodie gignit locus iste, & fiūt virtutes per orationes eius frequentes. Hic ab omnibus infirmitatibus ægroti liberantur, & periculis eximuntur, & precum suarum quisque consequitur effectum.* Idem Abdias (i) memorat Regem Xerxem Apostolis beatis, Simoni & Iudæ, magnificam condidisse basilicam, in quâ Sarcophagum reposuit corpora beatorum Apostolorum portātem, ad cuius præsentiam plurimi beneficia consequuntur, qui illuc credentes in Christum meruerint peruenire. Narrat idem (k) de ossibus B. Thomæ Apostoli huiusmodi factum : *Cùm Mes-*

(h) *Ibid. lib. 5.*

(i) *Lib. 6.*

(k) *Lib. 9.*

Mira virtus Reliquiarum.

Mesdæi, qui Apostolum occiderat, filius correptus esset à dæmonio, nec quisquam qui eum sanaret, posset reperiri, successit huiusmodi Mesdæo sententia, vt diceret: Vado & aperio sepulchrum, & tollens ossa de corpore Apostoli suspendam filio meo & curabitur. Ascendebat igitur secundum cogitationes Mesdæus ad mõtem, & reuelauit se Thomas ei dicens: In viuentes non credidisti, & in mortuos credis? Sed ne timeas, miserebitur & tui Dominus IESVS, *& exhibebit tibi viscera misericordiæ suæ propter bonitatem suam. Verùm, vbi ascendit Mesdæus, reserato sepulchro ossa inuenire non potuit, quia iam pridem Reliquias sanctas quidam de fratribus rapuerant, & in vrbe Edessa sepelierant. Et tamen quæcunque Rex in sepulchro reperit humi vel stercoris, suprà quæ iacuerant Reliquiæ Apostoli, auferens Mesdæus & alligans filio suo ait: Credo tibi Christe nunc, quia recessit à me ille qui hominum turbat affectus; ne ad te visendum summa properatione contendam. Itaque vbi suspendit illa puero, statim sanatus est ex illa hora, & factum est gaudium magnum inter fratres, super conuersione Regis ad Regem cœlestem* IESVM *Christum, &c.*

Similiter narrat Aurelianus Lemouicen-

censis Episcopus post beatum Apostolum Martialem ad calcem vitæ eiusdem Martialis: *Beatus*, inquit, *Alpinianus discipulus eius clarissimus sanctitate, accipiens sudarium eius tangebat ex ipso infirmorum corpora, & ad Christi inuocationem cunctos sanitati restituebat, & cætera multa quæ ad sancti viri Reliquias narrat miracula contigisse.*

Corpus Iulittæ, inquit Basilius Magn.(l) *honore præcipuo venerabile asseruauit affinibus & cognatis incolume, nec vlla sui parte læsum: quod sane in ornatissimo Primarij templi vrbis totius vestibulo conditum, loco quidem adfert venerabilem sanctimoniam, nec minus qui eo loci conueniunt efficit sanctiores. Terra porrò istius beatæ aduentu aquam emisit, quæ suapte naturâ nulli non nostrum gratissima esse debeat: adeò vt Martyr hæc, imaginem pientissimæ referat matris, dum nutricis in morem totius vrbis incolas perinde ac lacte quopiam alit: quod & sanis tutela est, & temperatè delitiantibus suppeditatio voluptatis & ægris solatium. Hanc ipsam in nos benignè contulit Martyr gratiam, quam olim suis Hierichuntinis Elisæus impertiuit, dum salsuginem naturæ communis aquarum loci istius circumquaque finitimi, benedictione permutauit in*

(l) *Orat. in S. Iulittam.*

ſaporem dulcem planè, delitioſum, & perquam ſuauem.

(m) Homil. in Mart. Ignatium.

Non ſolum corpora, ſed & monumenta SS. ſalubria.

Hinc Diuus Chryſoſtomus (m) prouocat Chriſtianos ad monumenta Martyrum, ſpondet ab ijs ſalutem, & vberiorem Eliſæanis ſepulchris; illorumq; Reliquias naufragantis valetudinis portũ, ſolamen ſtatuit malorum: erigitque in ſpem certam quotquot cum fiduciâ accedunt; ita ſcribens: *Sanctorum enim non modò corpora, ſed & ipſi loculi & monumenta ſpirituali gratiâ conferta ſunt. Nam & ſi Eliſæo id contigit, vt defunctus ſepulchrum eius attingens mortis vincula diſſoluerit, & ad vitam rurſum redierit, multo magis id fiet hoc tempore, quo gratia fluit vberior; quo ſpiritus maior eſt vis; vt ſi cum fide aliquis arcam attingat, magnam inde virtutem hauriat, & eam ob cauſſam Reliquias Sanctorum nobis conceßit Deus, vt nos ad ſe eorum imitatione perducat, vt ſint nobis velut portus quidam, & idoneum ſolatium eorum malorum quæ aßiduo nos affligunt. Quamobrem vos omnes cohortor, fratres, vt ſi quis veſtrum ægritudine animi, vel corporis morbo, vel quauis alia calamitate premitur, vt cum fide huc accedat, & ab aliis omnibus liberatus, magna cum lætitia reuertetur: & aſpectu ſolo conſcientiam leuiorem*

rem & tranquilliorem reportabit, &c. Vtilis igitur cunctis hic thesaurus est, & refugium salutare, tam illis qui rebus duris atq; asperis & peccatis conflictantur, vt ab iis liberentur; quam illis qui prospere & feliciter degunt, vt diu fruantur bonis. illis qui morbo laborant, vt bonam valetudinem consequantur: illis qui commoda gaudent valetudine, ne in morbum aliquem incurrant.

S.Epiphanius in vita Isaiæ, Ezechielis, & Hieremiæ scribit, à plurimis coli solita sepulchra eorum ob multa beneficia, quæ in ijs locis propter merita eorundem Prophetarum Deus conferebat.

Supra memoratus Basilius oratione in Mamantem dicit omnibus nota esse miracula, quibus Martyr alijs sanitatem, alijs vitam reddiderit; quæ certè miracula non fierent, si Deo cultus Reliquiarum non placeret. Eandem ob caussam S.Gregorius Nazianzenus: (n) *Omnia potest*, inquit, *puluis Cypriani, cum fide, vt sciunt hi, qui ipsi experti sunt, & miraculum ad nos vsque transmiserunt.* Et sæpe citatus D. Chrysostomus, (o) de Reliquijs S.Babylæ Martyris: *Sententiæ*, inquit, *nostræ abunde fidem faciunt, quæ quotidiana à Martyribus eduntur miracula.*

(n) *Orat. in Cyprian.*

(o) *Lib. contra Gentil.*

(p) *Hist. Lauf. cap. 62.* Palladius (p) item, ad Reliquias Philemonis, multa miracula facta narrat. S. Hieronymus quoque dicit, (q) magna quotidie signa fieri ad sepulchrum S. Hilarionis.

(q) *In Vita Hilarion.*

(r) *Lib. 22. de ciuit. Dei c. 8.* S. Augustinus (r) tot miracnla dicit facta ad Reliquias S. Stephani breuissimo tempore, vt multi libri scribendi sint si omnia referri debeant; duodecim tamen ordine describit: quorum primum est de quadam muliere cæca, quæ, Proiecto Episcopo deferente Reliquias Protomartyris, flores quos ferebat, dedit admouendos Reliquijs, quibus admotis & receptis, oculis suis apposuit, & protinus vidit, vti supra (s) iam descripsimus, &c.

(s) *Cap. 6.*

(t) *Lib. 5. de Vita B. Martini.* Seuerus Sulpitius: (t) *Refrigerius mihi testis est*, inquit, *mulierem profluuio sanguinis laborantem, cum Martini vestem contigisset, sub momento temporis fuisse sanatam.*

(u) *In Vit. Patr. c. 8. de S. Nicetio.* S. Gregorius Turonensis: (u) *Apud Gebennensem Galliarum Vrbem, dum eius* (Nicetij) *Reliquiæ cum honore psallentium portarentur, tantam ibi Dominus gratiam præstare dignatus est, vt suppliciter adorantes & cæci visum, & claudi reciperent gressum. nec dubitare quisquam poterat præsentem esse Confessorem, cum videbat talia infirmis remediorum munera præstari.* Hæc Gregorius ille de S. Nicetio.

Agmen ſanctorum Patrum claudat, vel inter primos numerandus noſter S. Gregorius verè Magnus, ita pro pulpito exclamans: (x) *Ad ſanctorum Martyrum Proceßi & Martiniani corpora conſiſtimus, fratres mei. Numquid iſti carnem ſuam in mortem darent, niſi iis certißime conſtitiſſet eſſe vitam pro qua mori debuiſſent? Ecce qui ita crediderunt, miraculis coruſcant. ad extincta namq; eorum corpora viuentes ægri veniunt, & ſanantur. Quomodo ergo ibi viuunt vbi viuunt, ſi in tot miraculis viuunt hic vbi mortui ſunt?* Cum ergo ad Sanctas Reliquias ſæpenumero tot ac tanta ſupra naturam opera Chriſtus ediderit, nihil amplius de earundem veneratione ambigamus. Fuerunt enim hi pulueres, oſſa, carnes, *Spiritus ſancti templum*, vt Apoſtolus clarè loquitur (y) nec multò poſt erunt ſubli-miore modo. Venerabimur proinde hæc oſſa, carnem, puluerem, hereditarias non perituræ gloriæ portiones, immo hæredes Dei, cohæredes Chriſti. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater*, inquit D.

Ioannes (z) *vt filij Dei nominemur & ſimus; quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus.*

(x) *Homil. 32. in Euangelia.*

(y) 1. *Cor.* 6.

(z) 1. *Ioan.* 3.

CA-

LIBER II.

CAPVT I.

DE RELIQVIIS SALVATORIS N. I. C.

Crux præcipua Reliquiarum Saluatoris.

INTER sacras Reliquias, quæ relationem aliquam habent ad dulcissimum Redemptorem & Saluatorem nostrum Dominū IESVM Christum, iure principatum obtinet Crux illa vera, in quâ ipse pependit, & salutē nostram operatus est; quæ propter contactum sacri corporis & sanguinis, inter pretiosissimas Reliquias habenda est, nec solùm ipsa integra, sed etiam particulæ eius. Honoranda est autem quatenus inter Reliquias cōtinetur: nam Reliquiæ habent singularem quandam præcellentiam, & interdum virtutem quoque, & efficacitatem, eo ipso quòd sunt talium ac tantorum hominum Reliquiæ. Coli igitur & honorari possunt propter illam prærogatiuam, sicut sudaria & semicinctia, propterea quòd Diui Pauli corpus attigerant; & vmbra D. Petri, propterea quòd à tàm sancto corpore prodibat, contrahebant peculiarem quandam præstantiam & virtutem, ob quam

quam poterant esse, & re ipsâ quoque erant omnibus venerationi.

Cùm igitur prima illa crux, non modò contactu Domini, sed & pretiosissimo eius sanguine tincta, imò rigata fuerit, quis non videt, quantum cruci dignitatis & amplitudinis accesserit, ita vt meritò possit ac debeat honorari?

Cætera Reliquia Christi.

Quod etiam intelligendum est de clauis, quibus Christus cruci est affixus; de lanceâ, quâ latus eius perfossum, de spongiâ, per quam potatus, de titulo crucis, de columnâ, ad quam alligatus est, cùm flagellis cæderetur, deque alijs Dominicæ Passionis instrumentis tactu vel sanguine CHRISTI consecratis: est enim omnium eadem ratio, & omnia hæc instrumenta maiores nostri semper piè, tanquam pretiosissimas Reliquias, coluerunt, vt suis locis videbimus: *Amo* inquit D. Chrysostomus, (a) *clauos, arundinem, lanceam & spongiam suspicio; pro regiâ coronâ coronam ex spinis ad caput accommodo. Clauos, quibus confixus est* CHRISTVS, inquit Rusticus Diaconus, (b) *& lignum venerabilis crucis, omnis per totum mundum Ecclesia absque vllâ contradictione adorat. Lanceam quæ viuificans latus sanctitatis tuæ aperuit, adoramus,* clamant ad CHRISTVM Patres

(a) *Homil. de crucis venerat.*

(b) *Dispu. cōtra Acephalos.*

(c) Act.7.ep. ad Imperat.
(d) Orat.3.de imag.

tres (c) ſeptimæ Synodi generalis. Damaſcenus (d) ex communi Chriſtianorum more, *crucis lignum veneramur, & colimus, & clauos, & ſpongiam, & arundinem, & lanceam illam ſacram, & ſalutiferam, & veſtem, & tunicam, & lintea, & faſcias.* S. Ephrem, (e) *Veneror lanceam, vulnus, arundinem, clauos, ſpongiam.*

(e) In planct. D. Virg.

Quanto in honore huiuſmodi ſacras Reliquias habuerit, Conſtantini Magni ſacratiſsima mater Helena, teſtantur Hiſtoriographi celebres, Ruffinus Aquileēſis, (f) Socrates, (g) & Nicephorus (h) nam crucem Dominicam inuentam, & clauos, cæteraque Paſsionis inſignia, mirâ veneratione coluit Baſilicis ędificatis, vbi magnificè omnia recondidit. Quandoquidem verò de his & alijs hiſtorijs crucem Dominicam concernentibus, copioſè egit R. P. Iacobus Gretſerus, S. I. qui aliquot tomis integris nihil aliud egit, quã omnis generis teſtimonijs Domin. crucis gloriam & honorem aſſerere, palámque facere: & poſt eum D. Iacobus Boſius in Cruce ſuâ gloriosâ & triumphante; tandemque nos ex vtroque & alijs nonnullis ſcriptoribus hiſtoriæ Paſsionis Domini nonnulla ſuis locis inſeruimus: hîc tantum ea, quæ reliquias illas ſacras attingunt deſcribemus, ſtudioſum Lecto-

(f) Lib.10.cap. 7. & 8.
(g) Lib.1.c.17. hiſt. Eccleſ.
(h) Lib.8.c.29.
S. Helena Reliquiarum Chriſti ſtudioſiſſima.

rem

rem monentes, vt historias & miracula apud citatos auctores indagare studeat, vbi desiderio suo abunde satisfiet.

CAPVT II.

DE PRAESEPIO, CVNIS, ET FASCIOLIS IESV *infantuli.*

NE verò tantum Dominicę Passionis instrumenta commemoremus, supersunt etiam IESV nostri paruuli, sacræ quædam Reliquiæ. Atque, vt prætereeam domunculam Nazareticam (quæ nunc Laureti colitur) in quâ conceptus: & Bethleemiticam speluncam, in quâ natus fuit; Dominicum Præsepe, in quo recens natus Saluator recubuit, Romę esse ex Bozio(a) cognoscimus: *Præsepe,* inquit, *in quo Christus est natus, scimus Romæ esse.* In D. MARIAE Maioris autem ex Attilio Serrano; (b) id enim ipse, in septem vrbis Ecclesijs asserit: quod adhuc incorruptum ibidem perseuerat in illo insigni ac miraculoso templo, in magnificẽtissimo Sixti V. sacello, & summâ fidelium religione, ac veneratione colitur, & à summis Imperatoribus ac Regibus in genua procumbentibus adoratur.

Præsepe Domini vbi asseruetur.

(a) *Lib. 3. c. vlt.*

(b) *Lib. de 7. Vrb. Eccles.*

Quod

Quod verò luteum ſit, & Romá Conſtantinopoli tranſlatum B. Chryſoſtomi teſtimonio declaratur: (c) *Nunc nos*, ſcribit, *Chriſtiani, quaſi pro honore tulimus luteum, & poſuimus argenteum* (loquitur de Domini Præſepi) *ſed mihi pretioſius illud eſt quod ablatum eſt. Non condemno eos, qui honoris cauſa fecerunt: Neque enim illos condemno, qui in templo fecerunt vaſa aurea, ſed admiror Dominum. Qui Creator eſt mundi, non inter aurum & argentum; ſed in luto naſcitur.*

(c) *Homil.2.in Luc. Molan. lib. de pict. cap.73.*

Item Cuna.

CVNARVM, pars in D. MARIAE Maioris; pars in ſancti Petri Vaticani; pars in ſancti Ioannis Lateranenſis Romæ aſſeruatur. (d)

(d) *Attilius ibid.* *Faſciola.*

FASCIOLAE, quibus MARIA Filij corpus inuòluebat, iterum in B. MARIAE Maioris, Conſtantinopoli illuc tranſportatæ cernuntur.

De ijſdem Cunis & Faſciolis participauit Templum B. Amati oppidi Duacenſis, (e) vt refert eius Eccleſiæ liber, benè antiquus, M. S. ſolido argento coopertus.

(e) *Ex Eccleſ. Monum.*

De ijſdem ſacris faſcijs multa egregiè ſacri Patres ſcriptis ſuis inſeruerunt. *Panniculi*, inquit Auctor ſermonis aſcripti D. Cypriano, (f) *pro purpurâ, pro byſsino ornatu*

(f) *Orat. de Nat. Chriſti.*

natu regio lætitiæ congeruntur. D. Bernardus (g) myſterium hoc contemplans ait: *Neque enim ſine certi ratione myſterij pannis Saluator obuoluitur, & ponitur in præſepio, quando id manifeſtè in ſignum nobis commẽdatur ab Angelo. Hoc inquit vobis ſignum; inuenietis infantem pannis inuolutum. In ſignum poſiti ſunt panni tui Domine* IESV, *ſed in ſignum, cui à multis vſque hodie contradicitur: multi quippe vocati, ſed non multi electi, ideò nec ſignati. Agnoſco certè, agnoſco* IESVM *magnum, ſordidis opertum veſtimentis, dum altercaretur cum diabolo.* (g) *Serm.4.de Natiuitat.*

Ipſi panni Saluatoris, inquit idem, (h) *diuitiæ noſtræ ſunt pretioſiores omni purpura, & glorioſius hoc præſepe Regum ſolijs deauratis, ditior denique Chriſti paupertas cunctis opibus, cunctiſque ſæculi theſauris.* Quapropter pulchrè D. Maximus: (i) *Si tibi panni, quibus infans Chriſtus inuoluitur, fortaſſè vileſcunt, Angelos collaudantes admirare; ſi præſepe deſpicis, erigere parumper oculos, & nouam in cœlo ſtellam proteſtantem mundo natiuitatem Dominicam intuere; ſi credis vilia, crede mirifica; ſi de his, quæ humilitatis ſunt, diſputas, quæ alta ſunt, & cœleſtia venerare.* (h) *Ibid.* (i) *Ser.de nat*

De ijſdem faſcijs S. Germanus Conſtantinopolitanus ita ſcribit: (k) *Ipſa* (Deipara) *vt infantem oportuit, magnum Dominum maternis manibus in his inuoluit. Ipſa cum ijs ferens in gremio lactabat, qui ſupra rationem præbebat omni naturæ ſpiritum & alimentum. Sed ô faſciæ, quæ liberatorem Dominum inuoluiſtis, & noſtrorum peccatorum catenas diſſoluiſtis. O faſciæ, quæ fideles quidem cuſtoditis & conſeruatis: eos autem, qui contrà ſe habent, ligatis & proſternitis. Sed, ô faſciæ, & zona veneranda, tribuite ſanctificationem, & corroborationem, & expiationẽ ijs, qui fide acceſſerunt ad ſanctum hoc templum, & cum deſiderio vos colunt, & adorant.*

(k) *Orat. in ador. zonæ & faſciarum.*

Faſciarum Chriſti encomia.

De ſtramine Præſepis Chriſti monſtrantur particulæ in Monaſterio Nöreſheimenſi.

CAPVT III.

DE PARTICVLA PRAEPVTII DOMINI NOSTRI IEſu Chriſti.

EAM S. Bonuentura (a) in Baſilicâ Lateranenſi Romæ cuſtodiri ſcribit. Innocentius quoque III. (b) refert hanc particulam ab Angelo fuiſſe delatam ad Carolum Magnum, quam ille

(a) *In 4 diſt. 12.*

(b) *Lib. 4. de myſt. Miſſæ.*

ille Aquiſgrani in templo collocauit, quæ poſteà ſub Carolo Caluo inde Romam ad Lateranẽſem Eccleſiam tranſlata fuit, & poſita ad Sancta Sanctorum, quæ propter Reliquiarum, quæ ibi ſunt, multitudinem ita vocantur. In reuelationibus etiam ſanctæ Brigithę legimus, Virginem Matrem reuelaſſe ſanctæ Brigithæ particulam illam vſque ad mortem à ſe diligenter conſeruatam, & illam inſtante morte S. Ioanni Euangeliſtæ (alij Mariæ Magdalenæ putant) datam, quæ in hunc vſque diem, traditione communi id etiam perſuadente, in eo quem dixi, Lateranenſis Baſilicæ loco cuſtoditur. Nec aduerſatur huic traditioni veritas Catholica, quâ credimus Chriſtum reſurrexiſſe integrum, & omnibus partibus vndequaque perfectum: ad id enim ſatis eſt reſurrexiſſe his partibus, quæ ad perfectionem & integritatem ſui corporis pertinebant, inter quas annumerari non poteſt propter minimam eius quantitatem, particula præputij, quæ ei in circumciſione fuit ablata; nec quæuis alia ſanguinis gutta, maximè ſi erat ex ſanguine nutriente.

Præputium Domini vbi.

Vtrum Chriſtus ſine præputio reſurrexerit.

1 Hinc infertur, ſanguinem, quem ex Chriſti vulneribus in cruce pendentis manãtem à Virgine ſanctiſsimâ, & Ioanne vaſe collectum tradit Nicephorus (c) ab

De ſanguine Chriſti.

(c) cap. 30.

ab eodem Christo, à mortuis resurgente fuisse resumptum, tanquam partem sanctissimæ humanitatis integralē, & notabilis quantitatis. Idem quoq; dicendum de sanguine, quem sudauit orans, supposito, quòd ille sudor fuerit verè sanguineus, vt communis opinio Patrum contra Euthymium, & Theophylactum arbitratur.

(d) 3. p. 54. a. 2.

Nos tamen doctrinam S. Thomæ sectantes, in quâ ait (d) Christi sanguinem, qui Mantuæ, & alijs in locis ostenditur, non esse sanguinem verum & naturalem, qui fuit in Christi corpore, sed à Saluatoris sanctissimâ quadam imagine cum miraculo fluxisse: quam sententiam S. Athanasius (e) pariter amplectitur. Quamobrem nonnulli Doctores his testimonijs innitentes non admittunt aliquam nunc esse extra Christum suæ carnis particulam, vel sanguinis guttulam, vnde aiunt illum sanguinem, qui apparet in eius spinis, & in sudario, non esse verum sanguinem, sed relictum illic à sanguine colorem.

(e) In 7. Synod. act. 4.

Duplici modo possumus huic difficultati satisfacere. Primus est, si ponamus ante oculos Papæ Pij II. extrauagantem, quam ille anno M.C.D.LXI. vulgauit, vbi censet non contradicere fidei veritati, qui dicit relictam à Christo in

terris

terris aliquam sui sanguinis partem ad suæ passionis memoriam excitandam, & reuerentiam fidelibus inferendam, sicut à Siluestro refertur. (f) Iuxta cuius doctrinæ tenorem fatentur non pauci, nullum esse inconueniens, neque à veritate alienum, credere particulam, quæ in circnmcisione ablata Christo fuit, nunc adhuc reperiri.

(f) Ros. aur. cap. 30.

Quapropter S. Bonauenturæ, (g) & Theophylacto (h) assentientes, nec non sententiam ab omnibus magis receptam amplectentes, dicimus, ad perfectionem, & integritatem corporis Christi pertinuisse, habere particulam illam instauratam, & integram cum omni perfectione, quâ illam Spiritus sanctus à principio formauerat. Hoc enim verba S. Thomæ significant loco citato, vbi loquens de partibus integralibus corporis Christi, inquit: *Omnia ista fuére in corpore Christi resurgentis absque omni diminutione.* Perspicuum autem est, si Christo deesset illa particula, aliquam in eo nunc esse corporis diminutionem. Præterea si loquens Christus de prædestinatis dixit (i) *Capillus de capite vestro non peribit*, quod cum illis forent à mortuis excitandi: dubium mihi non est, Christum cum integritate ablatæ sibi particulæ resurrexisse,

(g) In 4. dist. 12.
(h) In c. 2. Luc.
(i) Luc. 21.

Nec propterea falsam S. Brigithæ reuelationem iudicare, vel Romanam traditionem debemus habere suspectam, quâ docetur, & communiter creditur, in Ecclesiâ Lateranensi asseruari. Id enim duobus modis tueri possumus.

Primus desumitur ex supplemento Gabrielis. (k) vbi ait, peculiari miraculo illam præputij particulam in corpore Christi esse nunc animatam, & in Ecclesiâ Lateranensi animâ & vitâ carentem. Secundus modus & planior hanc sententiam defendendi, sumit pro fundamento doctrinam S. Augustini, (l) quod etiam tenet D. Anselmus. (m) Ait ergò Augustinus, ad veritatem resurrectionis eiusdem corporis non esse necessarium, vt omnes eius partes habeant eandem, quam antea, materiam, siquidem variatio huius vel alterius particulæ corpus, & eius præcipuas partes, quoad substantiam, non variat, aut mutat.

(k) In 4. dist. 44. q. 1.

(l) Enchir. c. 39. & lib. 22. c. 14. de ciuit. Dei.

(m) In c. 4. ep. ad Ephes.

Hac igitur fundatus doctrinâ, illam in Christo particulam, dico fuisse integrè restitutam, non quidem eandem numero, quæ ei fuit in circumcisione abscissa, quandoquidem in Ecclesia Lateranensi (vt dixi) custoditur, sed aliam, quæ illius defectum suppleat; sicut etiam necessariò faciendum erat aliquod supplementum, quamuis eademmet quæ illi ablata

erat,

erat, reſtitueretur. Nam cùm habere non poſſet eadem particula totam illam quantitatem, quam nutritione & augmento poſtea recepiſſet, ſi Chriſto non fuiſſet ablata; neceſſariò totus ille defectus per aliam materiam ſupplendus erat. Illuſtriſsimus Cardinalis Toletus talem hiſtoriam de inuento ſeruatoris noſtri præputio narrat (n)

(n) Comment. in c. 2. Luc.

Hiſtoria de particula præputij.

Intellectum eſt ex tribus illuſtriſſimis fæminis, nimirum Magdalena Strotia, quondam Flaminij Anguillaræ coniuge, & ex Clarice filia ipſius, quæ Sciarræ Columnæ nupſerat; denique ex Æmilia Vrſina Magdalenæ cognata, quæ Virgineo Anguillaræ matrimonio iuncta fuit M. D. XXVII. *quo tempore Roma in hoſtium direptionem ceſſit, ex auguſtiſſimâ Lateranenſi Baſilicâ loco, qui Sancta Sanctorum religioſiſſimè nuncupabatur, Præputium Chriſti Domini cum alijs Reliquijs militem quendam ſuſtuliſſe, qui vrbe diſcedens à ruſticis captus, Calcatam (pagi hoc nomen eſt, qui Anguillaræ familiæ ſubeſt, & Roma viginti duntaxat millibus paſſuum diſtat) deductus, in cellariáque pro carcere detruſus, quem ſurripuerat theſaurum ſacrilegus defodit. Non multò poſt libertate donatus Romam reuertitur, ac morbo correptus, ſeſe in Xenodochium San-*

cti Spiritus in Saxia recipit, vbi morti proximus, in pago Romæ vicino (nominis non meminerat) familiæ Anguillaræ sanctißimas Reliquias se terrâ obruisse perhibuit. Id vbi ad Clementem VII. perlatum fuisset, Ioanni Baptistæ, Anguillaræ Lucretiæ Vrsinæ marito (is erat Calcatæ, Stabij, & Mastanæ Dominus) scribi mandauit, omnem vt diligentiam in perquirendis Reliquijs adhiberet. Fecit ille, quod iussus fuerat, nec tamen inuentum quicquam. Mense tandem Octobris M. D. LVII. placuit diuinæ bonitati, vt ab aduenâ Sacerdote, qui Calcatæ SS. Cornelij & Cypriani præerat Ecclesiæ, cui iuncta erant cellaria, in quæ inclusum fuisse militem diximus, reperirentur: repositæ sanctißimæ Reliquiæ in scriniolo ex chalibe erant medij palmi magnitudinis, quatuor verò digitorum altitudinis, arcuato operculo desuper clausæ. Scriniolum ad Magdalenam Strotiam loci illius heram, quæ id temporis Stabij, vno miliari à Calcatâ morabatur, Sacerdos defert.

Hæc igitur nobilißima fœmina vnà cum ipso Sacerdote, Lucretiâ Vrsinâ, Claricéque filiâ, septem, vel octo annorum, aperto scriniolo, peruetustis sericis panniculis inuolutas in-

ueniunt

ueniunt Reliquias, quibus singulis in perpolitâ membranulâ adiuncta erant nomina, temporis diuturnitate adeò consumpta, vt ægrè legi potuerint. Eas ergò vt honorificè componeret, sigillatim Magdalena euolutas (complures enim erant) in argenteo pollubro reponebat, nouísque ex serico sacculis, adiunctis itidem singulis nominibus, inserebat. Inter cætera primò inuēta est particula carnis beati Valentini Martyris, nucis magnitudinem æquans, quæ quidem eo ipso tempore recens præcisa videbatur. Reperta ibidem secundo fuit pars Maxillæ cum vno dente sanctæ Marthæ, Diuæ Magdalenæ germanæ. Augebat lætitiam intuenti thesauri inueniendi expectatio.

Iuglandis instar tertius erat serico panniculo sacculus confectus, cui nomen IESVS inscriptum erat, eius dum Magdalena primum filum soluere aggreditur, sentit manus rigere; eas, vt moris est, confricat, & rursus, quod cœperat, soluere filū conatur; sed iterū magis quā ante, stuporem manuum, cum eorum, qui aderant, admiratione percipit, ignara quidnam in saccello lateret. Quare mente erecta, desuper implorandum præsidium rata, corde ita Deum optimum alloquitur; quamquam me peccatricem, ideo indignißimam, quæ diuina

attingam; profitear, animus tamen meus testis mihi est, non arroganter, sed humiliter, non vt sacra contemnam, sed vt honoratè conseruem, id muneris me suscepisse. Stupefacta itaque tertio cum maiore rigore, sed pari exitu, digitis nodum adeò difficilem soluendi percupida fasciculum sacrum prehensans, binos vtriusque manus admouere molitur digitos, quos extemplo itidem rigore induratos persensit, vt è metallo confecti viderentur. Et quod miraculi magnitudinem auget mirificè, nec digitos coniungere, nec sacratissimum globulum contingere potuit. Spectaculum stuporem stupor adstantibus, ipsique Magdalenæ inprimis, vberrimas elicit lachrymas. Tum Lucretia veluti diuinans: Crediderim, inquit, sacrosanctum Christi præputium hîc contineri, de quo Clemens Pontifex Maximus Ioanni Baptistæ coniugi meo aliquando scripsit. Hæc vbi solertissima fœmina prolocuta est, suauissimum repentè ex eodem globulo afflari odorem percipiunt, cuius compositionem ne imaginatione quidem consequi potuerunt. Neque verò locum duntaxat illum, in quo Reliquias contemplabantur, odor ille compleuerat, sed per omnes ædium partes ita sparsus erat, vt Flaminius Magdalenæ maritus properè, ad

vxorem miſerit, qui intelligeret, quiſnam odor eſſet ille, qui è ſuo cubiculo diffundi videbatur, ſed mulier prudenter admodum maluit pro tempore id, quod gerebatur, diſſimulare, quam temerè ſecretum, cuius & ipſa fuit inſcia, reuelare. Intereà timore non mediocre perculſis, ac dubijs, quid agant, quo ſe vertant, Sacerdos, qui aderat, rei nouitate & ipſe perterritus, id offert conſilij, vt Claricem tenerrimam Virginem, ſupremam perdifficili operi manum imponere ſinerent. Conſenſerunt quæ aderant matronæ, felicem ſe mater arbitrata, ſi in ſoluendo nodulo à filia ſuperaretur. Accipit igitur cum reuerentia globulum Clarix, ſine morâ & difficultate reſoluit, euoluit, & ſeparat, ac in pollubro argenteo collocat; quod quidem denſum, ac criſpum inſtar rubri ciceris erat. Tantum apud Deum opt. vitæ ſemper valuit innocentia, & corporis integritas. Porrò tam matris, quam filiæ manibus odor ille diuinus ita inſperſus fuerat, vt per biduum continuò durauerit. Perſecutæ ſunt poſtmodum contueri, & adaptare ceteras Reliquias, è quarum tamen explicatione nullus odor emanabat, quemadmodum neque ex prioribus, nec aliquem in eis euoluendis, vel accommodandis conatum adhibere fuit neceſſe. Deniq;

in

in idem scriniolum summo honore deposita omnia, ad Calcatense templum deferenda Magdalena Sacerdoti tradidit, quem cum nonnihil mali de eo suspicaretur, paulo post dimisit, in cuius locum alium suum subditum suffecit.

Res ea diu latere non potuit, sed cum esset breuissimo tempore diuulgata, verita Calcatæ Domina, ne cuiusquam malitia tantus thesaurus subriperetur, eum in Ecclesiæ sacrario, loco nimirum tutiore, asseruari voluit.

Demùm anno M. D. LIX. ipsis Calendis Ianuarij DEI instinctu mulieres quædam ex S. Vrsulæ sodalitate Mastano (qui locus Calcatâ vno distat miliari) causâ visendi sacrosanctas Reliquias, religiose post meridiem candelas accensas in manibus gestantes iter suscipiunt, quibus sese viri complures ipsi quoque faces præferentes, cum suis liberis adiunxerunt. Vbi Calcatam peruentum est, in planitie, in quâ situm est templum, humi se maximâ animorum submissione prosternunt vniuersi, & sic genibus nixi limen Ecclesiæ, in quâ eadem Reliquiæ conseruabantur, attigerunt. Mox ab Aristante Sacerdote, viro integerrimo exhiberi sibi sacrosanctum præputium petierunt, elatum è sacrario in Altari Sacerdos deponit:

deponit: Et ecce ſubito (res omnem excedit admirationem) Templum nubes implet quæ ſanctiſſimas Reliquias, Sacerdotem, altare ipſum obnupſit, vt nihil eorum à quoquam per quatuor horarum circiter ſpatium videri potuerit præter nubem, ſtellas, & ignis flammas, quæ ſurſum ac deorſum per Eccleſiam ferebantur. eo ſpectaculo vniuerſi, qui aderant, meritò conſternati, miſericordiam intensâ voce prout lachrimæ & ſingultus permittebant, implorare cœperunt: non defuére, qui campanis pulſatis non Calcatenſis modo verum & Stabij, Maſtanique pagi multitudinem ſonitu aduocarent: multi foribus templi excluſi tecta conſcenderunt, teguliſque auulſis aditum ſibi ad ea, quæ viſebantur, ſpectanda parauerunt. Perſenſit campanarum ſonum Flaminius loci herus, qui id temporis animi gratiâ venatum longius abſceſſerat, & ſine morâ ex ſuis familiaribus, qui rem inueſtigaret, miſit. Redijt ille celerrimè, ſeque in Templo nubem, ſtellas, & flammas cum multitudine videre aſſeruit. Aduolat herus ipſe, in cuius in pagum regreſſu, Dei voluntate diſparuerunt omnia. Retulit poſtmodum Sacerdos, ſe toto illo tempore ſenſu omni & cogitatione captum fuiſſe. Non multo poſt Magdalena Romam venit, &

de

de omnibus Paulum IV. Pont. fecit certiorem, à quo Pipinellus & Attiltus Cecius Lateranēsis Basilicæ Canonici Calcatam missi, vt plenius de facti veritate edocerentur. Hi ergo aduocatis lectissimis feminis, Magdalena, Lucretia, & Clarice, ab eis requisierunt, easdem ne Reliquias recognoscerēt, quas ante sibi à sacerdote exhibitas fuisse narrabant. Asseuerauerunt illæ, quemadmodum publicis tabulis, ac testimoniis consignatum est. Dum hæc geruntur mense Maio M. D. LIX. (dies erat longè pulcherrimus) accidit aliud insigne miraculum. Prior enim ille Canonicorum binis vtriusque manus digitis Christi præputium durumne sit, an molle pertentat, & vt esset certior, comprimens, in duas partes incautus diuulsit: quo facto (dictu mirabile) quæ tonitrua, quæ fulgura, quam obscuratus sit supereum locum aër, ita vt mediâ luce lucem adstantes desiderarent, metu conterriti omnes animam agere videbantur. Depositis Reliquijs Canonici Romam regressi, visa & audita Pontifici retulerunt, testificatique sunt omnibus ingenuè, veras esse Seruatoris nostri Reliquias, ijdemque auctores ferunt in perantiquis codicibus inueniri hoc sanctissimum Christi præputium olim in crystallino, quod vtrinque à duobus Angelis

lis ex auro affabrè elaboratis sustentabatur, ad sancta sanctorum asseruatum fuisse.

Porrò in hodiernum diem Calcatæ in Æde SS. Cornelij & Cypriani summa veneratione custodiuntur, vbi hæc, & in dies plura Deus Opt. miracula operatur. Qui locus, vt esset eò celebrior Æmilia Vrsina Magdalenæ cognata, mense Iulio M.D.LXXXIV. à Sixto V. plenariam indulgentiam, in eadem Ecclesiâ ipso Circumcisionis Domini die; vt ex litteris Apostolicis constat, per decennium impetrauit. Meminit nihilominus Campegius libello de sanctis Galliarum locis, *Præputium Dominicum*, ac *Aaronis Mitram*, seu *Insulam* sollicitè seruari, magnaque in veneratione haberi *Anicij* Aruerniæ oppido, quod *de Puteo* vsus obtinuit vocari.

CAPVT IV.

FONTES QVIDAM, LAPIDES, ARBOR, INDVSIVM, cultellus & linteum nostri Saluatoris.

ALiæ prætereà Christi infantuli tactu sanctificatæ Reliquiæ cultum religiosè meruerunt. Inter quas numeratur FONS, qui nascente Bethlehemi Domino in speluncâ erupit; de quo Car- *Fons Bethlehemiticus.*

(a) In appar. ad Annal.

Cardinali Baronio sic visum est testari: (a) *Nec tacẽdum quod tunc etiam in eodem puerperio accidisse fertur miraculum; nimirum quod in eadem speluncâ ad ea, quæ vsus quotidianus exposcebat, è petrâ fluxit aqua, quæ nunquam potuit exhauriri; sed mansit diutius diuinæ virtutis monumentum. Siquidem adhuc Bedæ temporibus, viuebat cunctis perspicuum tantæ rei prodigium.*

Fons horti balsami.

Nec silendus FONS ille, qui in horto balsami, æquali ferè spatio inter Heliopolim & Babyloniam cernitur. De quo Burchardum eius loci contemplatorem, fidúmque Scriptorem interest audire: (b) *Inter Heliopolim & Babyloniam medio fermè loco est Balsami hortus, qui modico Fonte, copioso tamen; irrigatur; in quo fama est beatam Virginem IESVM paruulum lauisse, panniculosque eiusdem atque linteola detersisse, quum esset in Ægypto, & metu Herodis exularet.* Et paulò post: *Verùm quia fons ille exiguus & modicus, totius horti irrigationi non satis fore videbatur; Saraceni profundum puteum suffoderunt, vnde quaterni boues rotali machinâ tubísque immißis aquam extrahebant. Sperabant namque Ægyptij ex ipsa* FONTIS IESV *vicinitate (hoc enim illi nomen erat)*

(b) par. 2. descript. terræ sanctæ. c. 4.

erat) aquam recentis effoßi putei, non modo fore copiosam, sed etiam salubris fertilitatis effectricem. At se deceptos animaduertentes, quod Antlia non tantum aquæ, quantum satis esset, hauriret: canalem construxerunt per quem aquam deriuabant, inque IESV FONTICVLVM *transfundebant, vt aquarum confusione perpetuâ, hortus posset commodè recreari, quem Virginalis Aquæ iam virtus attigisset.* Nec *eos fefellit opinio. Hodiè enim plantas omnes aqua exhausta lætificat, & Balsami hortus fonte immisso redditur valdè fæcundus. Quem fontem ille sacrasse creditur, qui agri pleni spirat & refert odorem, & illa fortunasse; quæ balsamo comparatur.* Huc vsque Burchardus.

De eodem Fonte meminerunt Iansenius, (c) Baronius, (d) Bozius, (e) Bonifacius, (f) Lucas Pinellus, (g) & omnibus ijs antiquior, Iacobus à Vitriaco, in hęc verba: (h) *Sunt in prædicto campo sex fontes; in quorum vno dicunt, quod beata Virgo Christum paruulum balneauit. Vnde certum est & probatum, quod liquor balsami, quem opobalsamum Physici appellant, translatâ prædictâ vineâ seu frutice in alium locum nunquam potest procreari.* Quo quidem loco

(c) *Concord. Euang. c.*11.
(d) *To.*1. *Ann.*
(e) *Lib.*1. *c.* 17. *de signis.*
(f) *Lib.* 1. *c.*14 *hist. Virg.*
(g) *Lib. Medi. de vita B. Virg.*
(h) *Hist. Orient. c.* 86.

Aegyptij ad talium memoriam seruandam ad annum vsq; M.C.LX. lampadem accensam retinuerunt.

Lapis ibidem. Commemoratur etiam à citatis Auctoribus Burchardo & Bonifacio locis citatis LAPIS, iuxta prædictum horti Balsami fontem, super quem Christi panniculos & linteola quę lauerat, B. Mater siccanda extendebat.

Seruatur adhæc apud Duacens. in D. Amati, pars LAPIDIS, super quem Christus recens natus positus fuit; vt vult l. antiq. Eccl. S. Amati MS.

Arbor. *(i) Lib. 5. c. 50. hist. Eccles.* *(k) Tom. I. Annal.*

Sozomenus, (i) & ex eo Baronius (k) narrant de ARBORE; quæ Mariâ cum Filio & Sponso Iosepho, Herodis Infanticidiũ declinante, ac Hermopolim Thebaidos opidum petente, verticem licet eminentissimũ, præsentis velut Numinis sciens, in terram declinauit. Cuius exinde fructus, aut folia, aut corticis particula ægrotis admota, morbos à corporibus depulerunt. Sozomenus de illâ fusius.

Romæ etiam in templo Lateranensi, auctore Onuphrio libro de septem vrbis Ecclesijs, inter alias Reliquias, quæ in ferculo marmoreo super altare sanctæ Mariæ Magdalenæ asseruantur, recensetur &

Indusium. Christi Domini INDVSIVM, his verbis: *Interula linea Domini nostri* IESV *Christi,*

quam

quam ei B. Virgo fecit, in capsulâ argenteâ. Sic ille: qui alibi in eodem libro ait, vocari in quadam tabulâ Reliquiarum, primam camisiam Saluatoris.

CVLTELLVS etiam, quo Dominus vsus fuisse perhibetur, memoratur apud Middendorpium in Academijs: & in templo S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ Treuirêsi repositus ab Agritio Treuirensi Archiepiscopo, eidem oblatus ab Helenâ Constantini matre. De linteo Saluatoris nostri, Hierosolymis ad montem Casinum allato, hæc tradit Leo Ostiensis. (l) *Anno Domini millesimo decimo quarto, Monachi quidam ab Hierosolymis venientes, particulam lintei, cum quo pedes discipulorum Saluator extersit, secum detulerunt, & ob reuerentiam loci sacri Monasterio Caßinensi obtulerunt. Verùm cùm plurimi fidem derogarent, illi fide præditi particulam istam ardentibus imponunt prunis, quæ mox in colorem ignis versa est. Amotis tamen carbonibus, ad pristinam speciem admirabiliter rediit. Cumque cogitarent, quomodo vel vbi pignora tanta locarent, dispositione Dei contigit, vt eodem die mitteretur huc loculus ille mirificus, vbi nunc condita est lintei ipsius particula, argento & auro, gemmisque opere angelico sub-*

Cultellus.

(l) *In Chron. Cass. lib. 2. cap. 94. Baron. tom.* 11. *anno Christi* 1014.

Linteum sacrum Hierosolymis allatum.

tiliter & pulcherrimè decoratus. Ibi ergò amoto cryſtallo, cum omni veneratione locata eſt: moriſque eſt annis ſingulis ipſo die cœnæ Dominicæ ad mandatum fratrum à manſionarijs eam deferri, & in medium poni, duoque ante illam accendi candelabra, & iugiter, donec impleatur mandatum, ab acolytho incenſari. Demum iuxta finem mandati, à ſingulis per ordinē fratribus flexis genib. deuotiſſimè adorari, & reuerenter exoſculari. Pars verò menſæ Saluatoris noſtri, aſſeruatur Moguntiæ, teſte Serario. (m) Mappæ verò pars in Nêresheimenſi Monaſterio Ord. S.Ben. diœceſis Auguſtenſis.

Pars Menſæ.

(m) Rer. Mog. lib. 1. cap. 17.

CAPVT V.

DE DOMINI TVNICA INCONSVTILI.

INconſutilem Chriſti Tunicam, opera artificioque Deiparæ mirabiliter contextam fuiſſe tradit Euthymius (a) *Hanc tunicam*, ait, *è traditione Patrum accepimus opus fuiſſe Dei matris, veluti ſunt apud nos capitis aut pedum hiemalia operimenta, id eſt, pileoli, & caligæ, quæ tum ex lanâ, tum bombyce fiunt ad arcendum frigus.*

(a) Cap. 67. in Matth.

Tunica incōſutilis qualis.

Addunt alij, (b) Virginem Chriſto paruulo exiſtente illam contexuiſſe, & ipſo

(b) Salmer. in tract 37. t. 10. & alij permulti.

ipso crescente, ipsam etiã creuisse, quod licet nonnulli negent, tamen maius fundamentum inueniunt ad annuendum, cum sacra (c) scriptura commemoret, vestes filiorum Israël egredientium de Ægypto per quadraginta annos non fuisse vetustate consumptas: immò illis auctis, auctas ipsas, vt multi tradunt, locum Deuteronomij explicantes. *Sanè hanc tunicam*, inquit Cardinalis Baronius, contextam fuisse à Beata Virgine, par est credere; nam in Oriente hominum vestes à fæminis confici solitas testatur Zorobabel (e) cum de mulierum fortitudine differit: *Ipsæ*, inquit, *faciunt stolas omnium hominum.* Et de muliere forti dicitur: (f) *Confidit in eâ cor viri sui, & spolijs non indigebit*, & mox: *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.*

(c) *Deut.* 8.
(d) *tom.* 1. *Annal. ann.* 34.
(e) 3. *Esdr.* 4.
(f) *Prouer.* 31.

De eadem tunica inconsutili ita scribit Sigebertus: (g) *Tunica Domini nostri* IESV *Christi, in ciuitate Zaphat, non longè Hierosolyma, confeßione Simeonis inuenta, & ab Episcopis Gregorio Antiocheno, & Thomâ Ierosolymitano, & Ioanne Constantinopolitano Ierosolymis, in loco vbi crux Christi colitur, posita est.*

(g) *In Chron. an.* D. XCIII.
Vbi asseruata?

Idem narrat Auctor Appendicis ad Gregorium Turonensem qui addit, (h)

(h) *Ad libros*

de hist. Franc. cap. 11. *Eadem Aimonius lib.* 3. *cap.* 78.
(i) *Lib.* 1. *de glor. Martyr. cap.* 8.
(k) *Salmeron. to.* 10. *tract.* 37. *Cartag. lib.* 10. *hom.* 12.
(l) *Lib.* 5. *Acad. tit. Treuirens.*

triduanum ieiunium ante translationem indictum; ipsamque marmoream arcam tam leuem esse redditam, ac si fuisset lignea. Testatur Turonensis (i) suo tempore hanc tunicam in ciuitate quadam Galatiæ fuisse asseruatam & honoratam, cistamque in qua recondebatur, à deuotis fidelibus, summa diligentia adoratam: *Non immeritò digna fuit*, inquit Gregorius *quæ hoc vestimentum retinet, quod Dominicum corpus vel contingere meruit vel velare.* Nonnus ait tunicam hanc Christi vinei coloris fuisse. Tradunt moderni quidam (k) sæpedictam tunicam nunc asseruari in oppido Argentolio non longè à Lutetiâ Parisiorum, vbi magnâ veneratione peregrinis spectanda proponitur, quamuis non desint, qui Treueri eam asseruari tradant. Vnde Iacobus Middendorpius (l) Academiæ Coloniensis Procancellarius, qui diligentiùs id quæsiuit & propiùs spectauit, non ante multos annos signauit stylo vulgauitque Togam D. N. inconsutilem à Treuirensibus S. Helenæ largitione posſideri. *Helena*, scribit, *vt patriam suam splendidiùs illustraret; S. Agritio pretiosas quasdam & raras Reliquias (vt præstantibus muneribus ad fidem eos alliceret) Treuerim perferendas tradidit. Primo itaque Domini*

Domini nostri IESV CHRISTI *togam inconsutilem ex Laterano sumptam; à Constantino Magno nuper illuc reconditam, olim per Titum Cæsarem Hierosolymis in Arcâ Testamenti, cum alijs Reliquijs transportatam.* Hartmannus quidem Scedelius Nurembergẽsis, Registro de ætatibus mundi, (m) tota diametro ab hac historiâ discrepat; sed quia in Chronico non satis sibi constat, & sæpè alibi labitur; malo placidè eum præterire, quam in re tam sancta ac seriâ vitilitigare. *(m) Aetate 6*

Secundum Onuphrium (n) tamen, Romæ in templo S. Ioannis Lateranensis continetur in ferculo marmoreo, super altare S. Mariæ Magdalenæ, quam Ioannes Diaconus antiquissimus scriptor, in libro de Basilicâ Lateran. cùm Reliquias huius Basilicæ commemorat, ponit his verbis: *Tunica inconsutilis, quam fecit S. Maria Virgo filio suo Iesu Christo.* *(n) Lib. de 7. Eccles.*

CAPVT VI.

DE SACROSANCTA AC VENERABILI CRVCE DOMINI nostri Iesu Christi.

QVANQVAM *omnia quæ Deo adiacuerunt*, teste S. Ioan. Damasc. (a) *adoramus, ipsi reuerentiam, & pietatis* *(a) lib. 4. c. 12.*

tis cultum exhibentes; attamen præ cæteris Paſsionis Dominicæ inſtrumentis colimus ac veneramur, *Crucem* illam primā tanquam(b)*venerabile monumentum, omni veneratione digniſsimum. Præſidium amicis, obſtaculum inimicis. Triumphale vexillum.*(c) *Munimentum præſentis, & pignus æternæ ſalutis. Lignum ſalutare.* (d) *Venerandum Chriſtianæ religionis ſignum.* Nec mirum: ipſa Crux enim eſt (e) *omni honore digna, Fortitudo noſtra, ornamentum & decus noſtrum, Spes ſalutis.*

(b) *Auctor quidam apud S. Auguſt. lib. 2. de viſit. infir. cap. 3. Ser. 130. de temp. D. Chryſoſto. ibid.*
(c) *S. Paul. in Epiſt.* 11. *ad Seuer.*
(d) *C. Theod. lib.* 16. *tit.* 10. *& tit.* 8.
(e) *Antioch. Ab. hom.* 27. *& in Exomol.*

Quæ forma crucis.

Porro forma eius eiuſmodi fuit, vt gemino conſtaret ligno, duobus inquam palis ſeu ſtipitibus, vno recto & oblongo altero tranſuerſo eoq; breuiore, & tranſuerſum quidem lignum recto immiſſum eſſet, non in vertice, ſed paulo inferius, vertice nimirum ſeu capitello ligni recti eminente.

Quæ materia. Lege hiſt. noſtram Paſſ. Dom. c. 70.

De materia verò Dominicæ crucis multa apocrypha narrantur. Alij ex triplici, rurſum alij ex quadruplici genere lignorum confectam fuiſſe volunt: recentiores verò quidam contendunt crucem Domini factam ex quercu; Quia hac arbore nulla magis obuia in Iudæa; Quia lignum quernum fixuræ peridoneum eſt, vtpote firmum ac ſolidum, vnde

vnde roboris nomen quercui inditum; Quia particulæ crucis, quæ multis in locis aſſeruantur, & religioſe coluntur, cum ligno quercino mirum in modum cōueniunt forma, & colore; Quia Romani cruces ex quercu exſcindere conſueuerunt; Quia nulla arbor religioſa magis quam quercus, & nulla tot myſterijs, vel à Deo vel ab Angelis celebrata.

Verum incertum omninò videtur eſſe, ex quo ligno crux Domini confecta fuerit, niſi vt cum S. Gregorio Nyſſeno, *crucem Domini ex vili & ignobili arbore* fuiſſe dicamus. Illud item probabile videtur, crucem Domini non fuiſſe rudem dumtaxat & informem, & vt creuerat, teretem ſtipitem, ſed dolatum & in quadrum exaſciatum, tum vt homini ferendo & figendo aptior, tum vt ligno transuerſo excipiendo habilior eſſet, licet alioqui me non fugiat, nonnullos rudibus in palis & truncis aliquando fuiſſe fixos.

Inuenta eſt *Dominica Crux* anno reparatæ ſalutis CCC.XXVI. & vt S. Ambroſij verbis vtar: *Apertâ humo & decuſſo puluere, tria patibula confuſa reperit,* (Helena nimirũ Imp. Conſtantini Mag. mater) *quæ ruina contexerat, inimicus abſconderat;* & reperit quidem nõ procul à Dominico *Quando inuenta.*

 ſepul-

ſepulchro. *Nam cum crucem in monte Caluariæ quærerent, in profunda quadam parte illius montis antrum ſeu ſepulchrum, vnde Chriſtus reſurrexerat, emerſit*, ait Sozomē. (f) *In altera autem parte eiuſdem loci, tres inuentæ ſunt cruces*. Moris namque fuit apud Iudæos, vt inſtrumenta, quibus malefico mors illata eſſet, iuxta eum ſepelirentur.

(f) *lib.2.c.1.*

Vt verò vera crux à duabus latronum crucibus dignoſceretur, mortuum ad vitam reuocatum, & mulierem ſemimortuam priſtinæ valetudini reſtitutum auteſtatur Nicephorus. (g) Teſtatur autem Beda (h) columnam erectam eſſe eo loco, vbi mortuus virtute crucis reuixit, monumentum patrati miraculi patrati ſempiternum.

(g) *lib.8.c.29.*
(h) *lib.de loc. ſanct.c.3.*

Vbi repoſita.

Porrò Helena non modò incredibili gaudio perfuſa eſt, propter inuentum tam pretioſum theſaurum: *ſed & digno mox ambitu crucem conſecrauit*, vt ait ſanctus Paulinus, *condita in Paßionis loco Baſilicâ, quam nouam Hieroſolymam appellauit, quæ auratis coruſca laquearibus, & aureis diues altaribus, arcano poſitam ſacrario crucem ſeruat, quam Epiſcopus vrbis eius quotannis, cùm paſcha Domini agitur, adorandam*

randam princeps ipse venerantium promit, Hæc S.Paulinus, quæ non sic accipias, quasi totam crucem Hierosolymis reliquerit, diuisit enim in duas partes, & partem quidem illius, filio misit, *locandam,* vt ait Theodoretus, *in Imperatoris Palatio; reliquum autem in capsâ argenteâ reponendum curauit, illudque dedit Episcopo illius ciuitatis, hortataque illum est, vt ad posteritatem velut monumentum salutis nostræ reseruaretur.*

Crucem à matre sibi missam vbi Constantinus accepisset, inquit Socrates, (i) *ratus ciuitatem, in qua illa seruaretur, omninò saluam & incolumem fore, in suam ipsius inclusit statuam, quæ Constantinopoli in foro, quod ab ipso Constantino nomen traxit, super columnam ingentem ex lapide Porphyrite confectam, collocata est.* (i) *lib.1.c.13.*

Particula S. Crucis, quanto in honore habita.

Quanto autem desiderio expetierint veteres, & quanto in pretio habuerint particulas S.Crucis, præter ea quæ superiori libro diximus, nobis demonstrat S.Ioannes Chrysostomus qui postquam multa in laudem crucis dixerat, hæc infert: (k) *Ipsum lignum, in quo positum sanctum corpus Domini, & crucifixum, quare nam habere totus orbis ita contendit, vt qui paruum*

(k) *Orat. quod Christus sit Deus.*

paruum quiddam ex illo habent, hoc auro includant, tàm viri, quàm mulieres, & ceruicibus suis aptent: Hinc valde honestati & magnifici, muniti & protecti, licet condemnationis fuerit lignum.

Ex hoc desiderio habendi nonnihil de sanctissimo Crucis ligno, accidit, vt vix reperiretur locus vllus, ybi non piè asseruaretur & coleretur pars aliqua S. Crucis: nam quicunque Hierosolymam proficiscebantur (proficiscebantur autem innumeri) haud facilè domum repetebant, sine sacrosancto Crucis ligno: quod, vt ait D. Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus, (l) *per particulas, de monte Caluariæ per vniuersum orbem sparsum est.*

(l) *Catech.* 4. 10. & 13.

Quomodo S. Crux in tot particulas diuidi potuerit.

Vt autem tam multorum votis beatum hoc lignum sufficeret, eodem ferê miraculo euenit, quo olim vt tot millibus hominum, pauculi panes satis essent. Audiamus sanctum Paulinum: (m) *Crux in materia insensata vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris pænè quotidie hominum votis lignum suum commodat, vt detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat: quotidie diuidua sumentibus; & semper tota venerantibus. Sed istam imputribilem virtutem & indelebilem soliditatem de illius*

(m) *Epist.* 11.

illius profecto carnis sanguine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem.

Capvt VII.

DE SVDARIO, VESTE ALBA, COLVMNA.

Residuas nunc quasdam Christi patientis Reliquias ordine proferemus. Ac in primis Svdarivm illud, quo Christus Dominus in monte Oliueti sudorem sanguineum absterſit, integrum ad posteros venisse, summáque religione coli in monte sancto Bauariæ, tradit R.P. Iacobus Gretserus. (a)

Sudarium mõtis Oliueti.

(a) Lib. 1. c. 97. de S. Cruce.

At Vestis alba, quâ illusus fuit Iesvs ab Herode, fertur asseruari Romæ in templo S. Ioannis Lateranensis. (b)

(b) Salm. tom. 10. tract. 27.

Vestis alba.

Porrò colvmnam illam, ad quam Christus flagellandus ligatus fuit, pietatis & religionis ergò Christianis sum̃o in pretio & honore habitam D. Hieronymus testatur, scribens ad Eustochium de Paulâ matre: (c) *Ostendebatur illi, columna: Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus.* Hanc suo tempore in medio Ecclesiæ sitam fuisse testatur Beda. (d), Ex quo itidem constat fuisse marmoream. Meminit eiusdem D. Gregor. Turonensis, qui & addit: (e) *Ad hanc columnam multi fide pleni*

Columna.

(c) In Epitaph. Paulæ.

(d) de locis sanct. cap. 3.

(e) de gloria Mart. c. 11.

pleni accedentes corrigias textiles faciunt eamque circundant, quas rursus pro benedictionibus recipiũt diuersis infirmitatibus profuturas. Eiusdem meminit S.Paulinus, (f) & Nicephorus, (g) eamque in templo in monte Sion ab Helenâ ædificato, fuisse locatam scribit.

(f) *Epist.* 34.
(g) *lib.* 8. *c.* 30.

Idem testatur auctor qni circa tempora Constantini Magni scripsit Itinerarium Burdigalense, seupotius Hierosolymitanum (h) *Ascenditur Sion, &c. & columna adhuc ibi est, in quâ Christum flagellis ceciderunt.*

(h) *Itin. Hier. edit. Pithai.*

Huius columnæ pars exstat nunc Romæ in Basilicâ S.Praxedis, in Sacello, quod *Hortus Paradisi* dicitur. Dixi, *pars*: nam quî tota? cum pars eius peregrinis ostendatur Hierosolymis, vt testantur cum Brocardo recentiorum hodæporica Hierosolymitana, idque vnanimi consensu. Et quis credat, columnam non fuisse maiorem, eâ, quæ Romæ visitur & colitur, cum Ecclesiæ porticum sustinuerit, gestaritque teste S.Hieronymo, alijsque antiquis scriptoribus: illa autem, quæ Romæ religiose asseruatur, tantùm constet altitudine trium palmorum, & dodrantis; vt scribit Daniel Mallonius(i)

(i) *In explicat. Sindonis c.* 5. *De duplici columna.*

Nam quod iste duplicem columnam statuit,

ſtatuit, alteram, ad quam ligatus & diuexatus fuerit in domo Caiphæ; alteram, ad quam in domo Pilati flagellis cæſus, innuitque, veteres Hieronymum, Prudentium, Bedam, alios, de priore, non de poſteriore intelligendos; *mihi non probatur* inquit P. Iacobus Gretſerus, (k) quia veteres expreſsè loquuntur de columnâ, ad quam in domo Pilati adſtrictus flagellorum ſupplicium Redemptor noſter exſoluit; vt de recentioribus nihil dicam, quibus idem ſenſus. Nec ſcio, vtrum ex antiquorum Patrum vel hiſtoricorum numero aliquis proferri poſsit, qui columnas geminauerit.

(k) *De S. Cruce, lib* 1. *c.* 10.

Nec obſtat, quod nimis tenuis videatur hæc columna ſuſtinendo templo; nam forſan, vt non tota altitudo, ſic nec tota ſpiſsitudo ſeu magnitudo adeſt: Deinde videmus, etiam tenues columnas ex ſolido lapide, cuiuſmodi marmor; non infirma eſſe fornicum fulcra, quando à pluribus adiuuantur. Adde, quod S. Hieronymus dicit, hanc columnam *geſtaſſe Eccleſiæ porticum*; vtique non ſolam, ſed cum alijs: at porticibus ſuſtinendis non ſpiſsiſsimas columnas quotidie adhiberi videmus.

Attamen his non obſtantibus, Mallonij auctoritatem adhuc pluribus firmare nititur

(l) *lib.1. de triumph. cruc. cap.13.*

nititur Iacobus Bosius, (l) qui cum superiores SS. Patrum auctoritates ex Gretsero, vt apparet, retulisset; hæc deinde subiungit.

Quibus auctoritatibus decepti quidam, non animo tantum falsam opinionem imbiberunt, quin etiam scripto affirmauere, columnam, quæ hic Romæ religiosissimo diuæ Praxedis asseruatur templo, columnæ illius partem extitisse, de quâ sanctus Hieronymus ceterique præfati meminêre auctores; hoc (vt ego quidem reor) argumento elusi, quod cum illa tantæ altitudinis ac magnitudinis esset, qualis illa montis Sion extiterat; hæc autem, quæ hic Romæ est, cum breuis sit ac depressa, rationi consonum videri hanc eamdem illius figmentum esse. Inter cæteros autem hoc errore deceptos Ludolphus Carthusianus deprehenditur, qui pio illo de vitâ Christi libro, de hac columnâ differens, sic tradit:

(m) *De Vita Christi part.2. cap.62.*

(m) *Cuius columnæ aliqua pars ostenditur Romæ in Ecclesiâ sanctæ Praxedis. Maior autem pars fertur esse in Ecclesiâ montis Sion, in loco vbi prænunciatur Euangelium.* Idem etiam Annalium Spiræ auctor his verbis affirmat: (n) *Pars aliqua de columnâ flagellationis Christi in Cathedrali beatæ Mariæ Deiparæ Virginis templo, in summâ arâ, cum multo-*

multorum Christi comitum sanctorum Reliquiis reposita colitur. Ostenditur & alia huius columnæ pars Romæ in Ecclesia sanctæ Praxedis. Maior verò pars Hierosolymis fertur esse in Ecclesia montis Sion. Aliosq; plurimos patet cum his in hoc hallucinari. Nam sacratissima columna hæc, quæ Romæ in prædicto sanctæ Praxedis templo extat nullo pacto censenda est pars illius de qua sanctus Hieronymus, ac ceteri quos retulimus, agunt. Integra enim plane esse comprobatur; atq; est illa ipsa, quæ in Hierosolymorum palatio prætorio, quo Iudææ Præsides, ac Pilatus præcipuè degebat, continuoq; fixa atq; immobilis, datâ operâ ibi locata persistebat, & appellabatur columna Prætoria, ad quam alligari ac verberari consueuerunt, qui rerum capitalium iudicio damnati, vel vltimo afficiendi erant supplicio, vel pro delictorum castigatione, fustuario in diem passim adiudicabantur. Est autem hæc ipsa marmorea, albis nigrisque elegantissimè conspersa maculis non maioris quàm trium vel circiter palmorũ altitudinis: huius omnino formæ atque mensuræ consultò fabrefacta, ne si altior esset, ministris impedimento esset, quo minus commode damnatos tam à posteriori, quam ab ab anteriori parte

flagris cædere possent. Infixus autem erat eiusdem columnæ summo vertici ferreus annulus, cui damnatorum alligabantur manus, dumq; eos verberarent, circum eandem columnam citatis gressibus impellebant.

A Ioanne Cardinale Columna Romā aducta.

Columnā hanc sanctissimam Ioannes Cardinalis Columna, qui eamdem S. Praxedis Ecclesiam tunc in titulum obtinebat, Romam aduexit, ibiq; collocari fecit, postquam Hierosolymis & à Syria reuersus esset: quò ab Honorio Papa III. ablegatus fuerat, vt Christianorum exercitui ad Terræ sanctæ recuperationem destinato assisteret, circa ducentesimum & vigesimum tertium supra millesimum nostræ salutis annum: vt apposite inscriptione, supra maiorem speculam, qua in sanctum sacellum, vbi sacratissima eadem asseruatur columna, est prospectus, his verbis annotatum legimus: *Columna, quæ in hac sancta Capella reconditur, huic depictæ omninò similis, non ea est quæ templi porticum sustinebat, ad quam Dominus noster* IESVS *Christus, in suæ passionis nocte alligatus, illusus & verberatus fuit, sed ea est, quæ in Pilati Prætorio pro fustigationis supplicio aderat, ad quam Dominus noster* IESVS *Christus, iubente Pilato flagellatus est.*

Inte-

Integra enim est; nec maior erat, ne posterior flagellandi hominis pars ab altiori columna tegeretur. Quam Ioannes Cardinalis Columna Legatus Apostolicus in partibus Orientalibus, sub Honorio Tertio circa Annum Domini M. CC. XXII. huc apportauit. Augustæ Vind. in æde SS. Vdalrici & Afræ nõ exigua etiã particula de huiusmodi columna magna cum veneratione asseruatur.

Caput VIII.

DE CORONA SPINEA ET ARVNDINE.

Coronam Dominicam plerique asserunt contextam fuisse è marinis iuncis, quibus Syria, & vicina Aegyptus scatent, quique spinas oblongas, acutas, & multo duriores terrestribus habent. Hinc Guilelmus Durandus (a) testatur, se sacratissimam hanc coronam, in Regis Francorum thesauris vidisse, affirmans eam, suo quidem iudicio, ex iuncis marinis esse. Nam vt refert Genebrardus (b) *S. Ludouicus Rex Galliæ à Græcis redemit coronam spineam, eamq; Lutetiam asportari præcepit: cui ipse obuiam comitantibus Episcopis, & Regni proceribus venit, multis cum lachrymis, & suspiriis, nudis pedibus,*

De materia coronæ Dominicæ.

(a) *Ration. lib. 6. cap. de Parasc.*

(b) *Lib. 4. Chronol.*

vndique affluente, & ingenua procumbente populo.

Attamen Cardinalis Baronius testatur, quæ in Ecclesijs asseruantur spinæ, easdem verè spinas, non autem iuncos videri. Alij verò putant coronam Domini contextam fuisse ex eo spinarum genere, quod *Rhamnus* appellatur.

(c) *Lib.* 1. *de glor. Mart. cap.* 7.

Sacra corona spina vbi asseruentur.

De spinis coronæ Dominicæ hæc scribit Gregorius Turonensis: (c) *Ferunt ipsas coronæ sentes, quasi virides apparere, qui tametsi videantur aruisse, folijs quotidie tamen reuirescere virtute diuina.* Præter alia illius partes, quæ varijs in locis piè asseruantur & coluntur, illa etiam vna est, quam Ethelstanus Anglorum Rex accepit ab Othone Magno Imperatore: (d) & illa quam S. Ludouicus Rex Galliæ cum alijs pretiosissimis Christi Reliquijs à Græcis & Venetis redemit, Lutetiamque transportandam curauit. S. Germanus quoque Parisiensis Episcopus à Iustiniano Imp. *de Domini nostri* IESV *Christi corona spinea* reliquias impetrauit, teste Aimoino. (e) Carolo Magno quoque Hierosolymis redeunti & Constantinopolim transeunti Constantinus Imp. *dono dedit vnum ex clauis quibus* D. N. IESVS *Christus Cruci affixus fuit, quasdam spinas coronæ ipsius, quæ coram*

(d) *Genebr. lib.* 4. *Chronol.*

(e) *Lib.* 3. *c.* 9.

coram eo mirificè floruerunt, & magnam partem ſtipitis veræ Crucis.

Alij prætereà in Aede S. Crucis in Hieruſalem de Vrbe, duas ſpinas ex corona Chriſti aſſeruari tradunt. In æde S. Euſtachij pars ſpineæ coronæ extat. Rhodi duas ſpinas ſeruari tradidit in Topographia Reliquiarum Franciſcus Maurolicus, licet alij (f) vnius tantum meminerint, quæ dum anno M. CCCC. LVII. ſuper altare ſacelli Magiſtralis in Inſula Rhodi poſita eſſet, per trium horarum ſpatium, conſuetum tempus anteuertens floruit (nam alias conſueuerat ſuos paulatim aperire flores ab aurora, ac ſeſe floridiſsimam cunctiſque floribus ſuis patentibus oſtendere, circa horam nonam diei Paraſceues, eodem temporis puncto, quo Saluator noſter exſpirauit) floreſq; ſuos effudit coram proceribus & magna populi multitudine.

(f) Iacob Boſ. lib. 1. c. 14. de Triumph. Cruce.

Bononiæ in Eccleſia S. Dominici oſtenditur ſpina magnæ longitudinis. In Eccleſia S. Hieronymi Ordinis Chartuſienſis alia ſpina. In Eccleſia Tiphernatis ſpectatæ longitudinis ſpina ſeruatur, cui adhæret vnus è capillis Chriſti Dñi ſanguine illi agglutinatus, quæ in die Paraſceues, qua hora Chriſtus ſpinis coronatus fuit, vireſcere, ſanguinemque quaſi tunc è Chriſti capite extraheretur ſingulis an-

Ingens ſpinæ miraculum.

lis annis colliquefieri, maxima populi pietate cernitur. Non absimilis est illa, quæ in oppido Montoni prope Eugubium conseruatur, de qua Bozius. (g)

(g) *De sig. Eccles. lib. 15. c. 15.*

Venetijs in antiquissima ac nobilissima confraternitate sanctissimæ charitatis inter alias pretiosissimas ac maximè venerandas reliquias; quas aureis, argenteis, ac Chrystallinis vasis inclusas, multis etiam gemmis ornatas Cardinalis Bessarion eiusdem confraternitatis fratribus donauit, quatuor acutissimæ spinæ Christi sanguine aspersæ asseruantur.

Vidi aculeum coronæ vnum, inquit P. Posquierus, (h) *in conuentu PP. Franciscanorum Namurci, longitudine acus, craßitudine ferè claui sutorij, colore cinereo.* Augustæ Vindelicorum asseruantur duæ eiusmodi spinę ad S. Crucis, vna itidem spina in Monasterio Noresheimensi; & particula ex eisdem ad SS. Vdalrici & Afræ, & alibi adhuc diuersis locis.

(h) *Cono. 37. n. 3. de Paß. Dom.*

Alicubi etiam dies festi in honorem sacratissimæ huius coronæ instituti celebrantur, (i) vt Parisijs XI. die Augusti susceptio sacræ spineæ coronæ ab infidelibus per S. Ludouicum Regem: & in Episcopatu Ratisbonensi quartus dies Maij coronæ Dominicæ festus est, Et in ordine Militari S. Ioannis Hierosolymitani festum

(i) *Molan. Martyrol. Vsuar.*

ſtum ſolemne, ſub ſemiduplici officio celebratur III. Idus Auguſti.

Arundo vero, quæ Chriſto pro ſceptro regali in manum tradita fuit, Romæ in templo Lateranenſi reperiri dicitur, eam quoq; inter Reliquias, valde à Chriſtianis honorari ſolitas, commemorat S. Gregorius Turonenſis.

Capvt IX.

DE SVDARIO VERONICAE; ET VELO CRVCIFIXI.

DVm Iesvs Dominus ac Saluator noſter ad Crucis ſupplicium educeretur, inter fæminas ipſum ſequentes aderat religioſa fæmina, nomine Veronica, (a) quæ intuens eius vultum nimio ſudore confectum, pia miſeratione commota propius accedens, capitis velo, quo operiebatur, (vt quidam dicunt, vel ſudario, vt alijs placet) ac triplicato, illum abſterſit, ac tres Chriſti vultus imagines in eo ad viuum expreſſæ remanſerunt, vt præter Chriſtianam traditionem referunt Methodius (b) & multi graues Doctores, quarum vna Romæ, altera in Gienenſi Hiſpaniæ ciuitate, tertia Hieroſolymis eſſe fertur, quæ certis & ſtatutis temporibus cunctis Catholicis, Religionis gratia illuc confugientibus, ſum-

(a) *P. Salm. tom.* 10 *tract.* 33. *C. Bar. an. C.* 34. *Conr. Brun. lib. de imag. c.* 3. *Iul. Salignatus tom* 8. *c.* 7. *Rutil. Benzon. lib.* 1. *de fuga diſſ.* 1. *q.* 2. *Bredemb.* 14. *Io. Eggius de Paſsion. Chriſti act.* 5. *Conſid.* 1. *Conr. Cling. c.* 76. *de*

summa veneratione spectanda proponitur. De Veronica ita scribit Christianus Adrichomius: (c) *Domus Veronicæ angularis fuit, vbi Veronica lineum capitis sui peplum dedit Christo, quo faciem suam tergeret, cui Dominus faciei suæ imaginem perfectè impressit, eiq; in amoris sui pignus reddidit, quod in hodiernum vsq; diem Christi facie insignitum Romæ in S. Petri Basilica in Vaticano monte per Constantinum magnum exstructa, grandi honore asseruatur, ac statis diebus populo ostenditur.*

Quomodo autem dictum Sudarium Veronicæ Romam peruenerit, hæc traduntur in supplemento Chronicorum, & in libello, qui in Vaticana Bibliotheca asseruatur: *Veronica Hierosolymitana Matrona nobilitate, ac sanctitate insignis, Romam se contulit, ac sacrum Sudarium secum detulit, quo graui morbo laborantem Tiberium Imp. sanasse fertur, & postea ad manus Clementis Romani Pontificis deuenisse, & sic successiuè per manus traditum apud sanctissimos viros perdurasse, quoad vsq; reddita Ecclesiæ pace, publicæ venerationi in Basilica Vaticana fuit expositum.*

Memorabile est, quod de sacrosancta Christi effigie quæ in eodem Sudario cer-

loc. com. Paul. Grisald. §. Imago. Turrecrem. c. §enerabilem, de consec. d. 3. Franc. Suarez disp. 52. in 3. p. D. Thom. Med. 3. p. q. 25. art. 3. Viguer. Inst. Theol. n. 66. Iac. Grets. l. 1. cap. 97. de Cruce. Mallon. in explic. Sind. c. 1. n. 11. c. 10. n. 2. & c. 14. n. 17. Carthag. t. 1. lib. 10. hom. 20.

(b) Ap. Mar. Scot. in Chron. an. 39.

(c) Cap. 9. §. 23.

Veronica Sudarium Romam detulit.

cernitur, tradit Ioañes Landſpergius, (d) quod Chriſti facies in eodem impreſſa, digitorum veſtigia impreſſa retineat, & aſpicientibus monſtret, quando armata manu alapas Chriſto Domino inflixere.

(d) *Hom.19.de Paſſ.*

Linteum ſeu velum Chriſti vbi aſſeruetur.

Velum verò illud ſeu linteum, quo Chriſtus ijs partibus, quas natura tegere iubet, velatus in cruce fertur; Aquiſgrani, vna cum alijs ſacratiſsimis Reliquijs, religioſiſsime aſſeruatur, & ſeptimo quoq; anno fidelibus deuotionis cauſſa oſtenditur, extra quod tempus, teſte Leone Reginæ Bohemiæ fratre, (e) Cæſari diadematis gratia eo venienti detegitur.

(e) *In ſuo Itinerario* 1465.

In Bauariæ quoque Monte ſancto de eodem linteolo aliquid aſſeruari fertur.

CAPVT X.

DE CLAVIS DOMINICIS.

VEnerandos illos, ſacroſq; clauos quibus Saluator noſter in crucem affixus fuit, & à probatioribus ſcriptoribus quatuor numero fuiſſe traduntur, beatiſsima Chriſti Mater ac ſemper Virgo MARIA, Redemptore noſtro è Cruce depoſito, tamquam humanæ ſalutis pignora chariſsima, ac gemmas pretioſiſsimas, ſacratiſsimo ſuo in ſinu repoſuit, vt Simeon Metaphraſtes his verbis teſtatur: (a) *Quin etiam, in eo à cruce*

(a) *De vita & dormit.*

 depo-

Deip. ap. Sur. tom. 4.

deponendo, maternis manibus inseruijt, & clauos qui extrahebantur, suo sinu accepit: quos postea Helena Constantini mater reperit in eodem antro, quo sacratissimum Christi sepulchrum excisum fuerat; vt Socrates Historicus, (b) & Nicephorus Callistus (c) tradunt.

(b) Lib. 1. c. 11.
(c) Lib. 8. c. 29.

Festum sacratissimis clauis sacrū.

Huius inuentionis festum Græci celebrant 6. Martij, quo die, hæc Menologium: *Eodem die inuentio venerandorum clauorum.* Apud Latinos verò feriâ sextâ post octauam Paschæ celebratur festum lanceæ & clauorum, institutum, vt ait Molanus, (d) anno M.CCCC.LIII. ab Innocentio VI. petente Carolo IV. Imperatore.

(d) In addit. ad Vsuard.

Horum clauorum vnus ad hunc vsque diem Romæ conspicitur, magna veneratione ac reuerentia asseruatus, in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem, vbi ab eadem Helena sancta, vna cum alijs insignibus Reliquijs repositus fuerat; & non improbabiliter ille credi potest, quem Gregorius Turonensis (e) ab Helena in mare Adriaticum proiectum ait, fluctuum sedandorum gratia, & forte non tam demersus est in mare, quam immersus; vix enim credibile sit, Helenam tanto thesauro & solatio tam se, quam alios penitus priuare voluisse.

(e) De glor. Mart. lib. 1. cap. 6.

Quid

Quid verò de ceteris clauis factum fuerit, ex Historicis supradictis, itemque ex Sozomeno, (f) Theodoreto, (g) & S. Ambrosio (h) clare colligitur. *Quin etiam & clauos,* inquit Socrates, (i) *quibus Christi manus cruce affixæ erant, Constantinus assecutus, (istos enim mater in Seruatoris monumento reperiens, ad eum miserat) in fræna curat & galeam fabricandos, illisq; in bello gerendo vtitur.*

(f) *Lib.2.c.1.*
(g) *Hist.Eccles.l.1.c.8.*
(h) *In funebr. orat. Theod Imp.*
(i) *Lib. 1. c.13.*

Frænum porrò illud in quo sacratissimus clauus, *modò in Mediolanensi Domicilio* (maiore Basilica) *maximo in pretio colitur,* ait Iacobus Philippus Bergomensis. (k) Ex clauis etiam Dominicis vnus olim religiose obseruabatur, apud S. Dionysium in Gallia; de quo Guillermus de Nangis. (l) *Quòd verò claui*, inquit Cardinalis Baronius, (m) *quibus suffixus est Christus, plures diuersis in locis hodie reperiri dicantur; nihil est quòd pluribus quàm tribus, vel ad summum quatuor, Christi manus & pedes confixos putemus:* licet plures eorundem clauorum dominicorum particulas, diuersissimis in locis, reperiri nihil prohibeat. Veteres enim instrumentorum passionis Dominicæ amantissimi; vbi vel minimam particulam ex clauo Dominico nacti es-

(k) *In supplem Chron. lib.9.*
(l) *In Vita S. Ludouici.*
(m) *Annal. tom. 1.*

cti essent, integro clauo thesaurum illum sacratissimum includebant, quo accidit, vt ob aliquam partem claui Dominici, totus clauus sacer censeretur. Multi quoque ad imitationem clauorum Dominicorum, alios sibi fieri curabant, eiusdem formæ & magnitudinis, vt cum non liceret ipsum prototypum obtinere, saltem effigiem ex illo expressam & effictā possiderent & colerent.

Fortè etiam alicubi accidit, vt clauus aliquis inter sacras Reliquias asseruatus, quo mystica Christi membra, nempe Martyr quispiam confixus est, vnus ex ipsis passionis Christi clauis fuerit existimatus, quod recte obseruauit Cardinalis Baronius. (m) Potuit insuper fieri, vt claui, quibus affixa fuit cruci tabella seu titulus; claui crucis simpliciter dicerentur & haberentur. Nec solum in titulo affigendo claui necessarij fuerunt, sed etiam in cruce ipsa compingenda, quæ, vt minimùm, duobus lignis, malo & antenna constabat: hæc autem clauis probabile est inter se iuncta, & compacta fuisse. Adde lignum suppedaneum, quod clauis cruci connexum fuisse, verisimile est.

(m) Loc. cit.

Hos ergo omnes clauos Christi sanguis sacrauit; & Christianis venerabiles reddidit.

CA-

CAPVT XI.

DE TITVLO CRVCIS.

REpertus est sacratissimus Crucis Dominicæ Titulus primò à sanctâ Helenâ, Magni Constantini Imperatoris matre, eo in antro, quo Christi Domini nostri sepulchrũ, effossum erat, tunc cùm sanctam crucem quoque repererat, anno videlicet salutis nostræ CCC. XXVI. vt testantur S. Ambrosius, (a) Socrates, (b) Ruffinus, (c) Sozomenus, (d) Nicephorus, (e) & alij. quem quidem titulum cum Romam detulisset, in Ecclesia sanctæ crucis in Hierusalem, quam Imperator supradictus & ipsa in honorem S. Crucis Christi ab eo inuentæ ædificauerant, posteà reposuit.

Vbi repertus crucis titulus.

(a) Orat. in fun. Theodosij.
(b) Lib. 1. c. 13.
(c) Lib. 1. c. 7. & 8.
(d) Lib. 2. c. 1.
(e) Lib. 8. c. 29.

Eius verò Tituli pars, vt Onuphrius Panuinus (f) refert, à Placidio Valentiniano Imperatore, in maiore arcu eiusdem Ecclesiæ deinde inclusa, postquam ibi per annos circiter mille & centum occulta remansisset; demum sic permittente Deo, Innocentij Papæ VIII. temporibus quasi per miraculum apparuit, eo modo, qui in Bulla Alexandri Papæ Sexti sub die 29. Iulij anni M. CCCC. XC. VI. expedita recensetur.

(f) De 7 Vrbis Rom. Eccles.

Eius Ectypon edendum curauit Marcus Velserus, Reip. Augustanæ II. vir, & non

Ectypon tituli.

(g) *Lib. 1. c. 11. de cruce triumph.*

non ita pridem Iacobus Bosius. Notat idem Velserus, ex eodem tituli fragmento constare, titulum fuisse ligneum, ferro sculptum, non calamo exaratum, characteribus rudibus, vt in re subita. Hebraicarum literarum exiguæ Reliquiæ visuntur; & ex Græcis Latinisq; vnicum vocabulum Nazarenus, vna cum altera litera sequentis dictionis. A dextra ad sinistram Latinæ & Græcæ voces æquè ac Hebraicæ formatæ sunt, qui scribendi modus in his duabus linguis rarus.

Videtur autem non nisi tertia pars totius integri Tituli Romæ exstare, vt ex literarum characteribus ibi deficientibus conijci potest, reliquas tum Tolosæ, tum alijs Christiani orbis partibus religiose coli & asseruari.

CAPVT XII.

DE SPONGIA.

Spongia vbi asseruetur.

SAcratissima porrò spongia, qua D. IESVS in cruce potatus fuit, Hierosolymis olim visebatur in Domini calice asseruata, vt memoriæ proditum est libello illo peruetusto, (a) cui titulus est, *De locis sanctis*, à venerabili Beda in compendium redacto, cuius hæc sunt verba: *In platea, quæ Martyrium & Golgotha continuat exedra est, in qua calix Domini scri-*

(a) *Cap. 2.*

ſcriniolo reconditus per operculi foramen tangi ſolet, & oſculari: qui argenteus calix, duas hinc & inde anſulas, ſextarij Gallici menſuram capit; in quo eſt illa ſpongia Dominici potus. Extat nunc & religioſè colitur in Baſilica Lateranenſi Romæ, teſte Baronio, adhuc quemdam ruborem retinẽs, tamquam ſanguine olim tincta fuiſſet. Nec eſt cur ſcrupulum aut dubium nobis ingerat, quod apud nonnullos Hiſtoricos (b) legitur, ſpongiam hanc, vnà cum alijs Reliquijs & Chriſti paſsionis inſtrumentis; à Balduino Conſtantinopolitano Imperatore, Venetorum Reipublicæ oppigneratam; & poſteà à S. Ludouico Francorum Rege, eodem Balduino permittente, perſoluto pignore, in Galliam trãſlatam, atque Lutetiæ Pariſiorum in Regio ſacello, quod ſanctam Capellam vocant, collocatam, cùm facilè dari poſsit, hanc Chriſti Domini ſpongiam ſacratiſſimam, in duo, vel etiam plura fruſta diuiſam fuiſſe; atque illam Franciæ, partem iſtius eſſe.

(b) Genebr. lib. 4. Chronolog. Gretſ. lib. 1. c. 96. Boſ. l. 1. cap. 16.

CAPVT XIII.

DE LANCEA.

SAcram Lanceam, qua latus Chriſti mortui à milite fuit apertum, vnà cum ceteris paſsionis inſtrumentis in

in terra defoſſam, tradit Andreas Cretenſis, (a) *Sed quod ad lanceam attinet, difficile eſt creditu, eam cum crucibus fuiſſe eodem die ſub veſperum defoſſam, cùm ſine dubio fuerit propria militis,* inquit P. Gretſerus. (b)

(a) Hom. de Exalt. S. Cruc. c. 5.

(b) Lib. 1. c. 62. de S. Cruc.

De eadem noſter Venerabilis S. Beda: *(c) Lancea militis inſerta habetur in Cruce lignea, in porticu Martyrij, cuius haſtile in duas interciſum partes, à tota veneratur ciuitate.* *Martyrium* verò appellatur templum, Hieroſolymis à Conſtantino Magno exſtructum.

(c) De loc. ſanct. c. 2.

Sacra lancea Vbi aſſeruata.

Eandem Anno Chriſti MXCVIII. repererunt Chriſtiani cruce ſignati Antiochiæ in templo principis Apoſtolorum, non ſine miraculo vt narrat Tyrius, (d) & complures alij.

(d) Lib. 6. c. 14.

Poſtea circa annum Domini M C C. XLIII. Balduinus Imperator ferri eius aciem, lima ſectam, cum alijs Dominicæ paſsionis inſtrumentis Venetis oppignerauit, quæ deinceps S. Ludouicus Rex Francorum, poteſtate redimendi accepta, in regio ſacello Pariſijs repoſuit. (e)

(e) Guil. Nãg. de geſt. S. Lud.

Proditum inſuper eſt, Baiazetem, Turcarum Imperatorem, Lanceæ ferrum donaſſe Innocentio VIII. Pontif. Max. Anno ſalutis M. CCCC. XCII.

Cæterùm S. Lanceæ feſtum, inſtitutum, vt ait Molanus, anno M. CCCLIII.

ab

ab Innocentio VI. petente Carolo IV. Imp. celebratur feria ſexta poſt octauam Paſchæ. Diuerſa ab hac lancea, eſt illa, quam Otho Friſingenſis, (f) *lanceam ſacram*, vocat. *Lanceam quoq; ſacram*, inquit, *quam Reges noſtri hactenus habent, ab Arnolfo Lugdunenſis Galliæ ſeu Burgundionum Rege minis extorſit.* Eam Conſtantini Magni fuiſſe teſtatur Sigebertus: (g) *Lanceam mirandi operis, & clauis* IESV *Chriſti crucifixi ſanctificatam, quæ dicitur primi & Magni Conſtantini Imperatoris fuiſſe, donatam Rudolpho Regi Burgundionum & Italiæ à Sampſone Comite: Rex Henricus precibus, minis, muneribus, addita etiam parte prouinciæ Sueuorum, à Rudolpho Comite extorquet, & hanc ad inſigne & tutamen Imperij poſteris reliquit.*

(f) *Lib.6.c.* 18.

Alia lancea.

(g) *In Chron. an.* 929.

Ea autem lancea Crucis habuit effigiem, clauis Dominici corporis affixis, inquit Auctor vitæ S. Gerardi Abbatis. (h)

(h) *Apud Sur. to.* 5.

An verò ea, quam nobiliſsima Noricorum vrbs ſe habere gloriatur, particula ſit prioris, vel poſterioris lanceæ, necdum apud Auctores definitum legi. Eam Noribergæ vidit Leo à Roſmital frater Reginæ Bohemiæ, qui & hæc addit, (i) *Super eam Sacerdotes annulos noſtros ponebant, vt*

(i) *In ſuo Itiner.*

qui dolore vel punctione lateris infestarentur, præsens & certum apud se remedium haberet. Cæterùm cuspis sacræ lanceæ etiam asseruatur in Bravveilerensi Ord. S. Benedicti cœnobio, qua transfiguntur imagines, in quibus arma paſsionis Christi depicta habētur, vel etiam corcula ex auro, argentoue, & quisquis dixerit, *Pater noster* & *Aue Maria*, lucratur octoginta dierum indulgentias.

Capvt XIV.

DE LAPIDE IN QVO CHRISTVS DE CRVCE DEPOSITVS *reclinatus fuit.*

TRaditio habet Christum iam de cruce depositum, in lapide quodam reclinatum fuisse, donec ad sepulturam pararetur. Extabat hic lapis olim Ephesi, & in magna veneratione erat; translatus postea Constantinopolim; de quo hæc Nicetas (a) loquens de Manuele Imperatore: *Non procul inde basi impositus adoratur lapis purpureus, viri magnitudine, qui ante fuit Ephesi: & is esse dicitur in quo Christus de cruce sublatus, & fasciis inuolutus conditus fuerit. Eum lapidem Imperator inde aduectum humeris suis, quippe* qui

(a) *Lib. 7. de Manuele sub finem.*

qui diuinum corpus, ipſumq́ Chriſtum geſtaſſet à portu Bucoleontis vſque ad ædem, quæ in turri Palatij eſt, pertulit. Hæc Choniates.

CAPVT XV.

DE SEPVLCHRO DOMINICO.

PLacuit D. IESV ſepulchrum hoc, non terreum aliquod aut ex pluribus lapidibus ædificatum, ſed iſtud ex vna exciſum rupe; quòd voluerit ſepulchrum ſuum immobile eſſe nec vmquam aboleri, ſed exſtare perpetuum ſuæ mortis in reſurrectioniſque monimentum: prout hactenus illud, inter tot vrbis Hieroſolymorum deuaſtationes ac mutationes, ſeruat inuiolatum & glorioſum. Accedit, ſingularis vis ad excitandam deuotionem præ omnibus alijs locis ſanctis teſte D.Bernardo. (a) *Sepulchrum Chriſti inter loca deuotionis tenet quodammodo principatum, & deuotionis neſcio quid plus ſentitur vbi mortuus requieuit, quā vbi viuens conuerſatus eſt, atq; amplius mouet ad pietatem mortis, quàm vitæ recordatio.* Vnde D.Hieronymus loquens de Paula ait: (b) *Ingreſſa ſepulchrum Domini oſculabatur lapidem, & ipſum corporis locum; in*

(a) *Serm ad mil. templi. cap.* 11.

(b) *Epiſt.* 72.

quo Christus iacuerat, quasi sitiens desideratas aquas fideli ore lambebat.

Quum igitur aliorum hominum gloria sepultura plerumque finiatur: Christi gloria ab ipsa sepultura cœpit, indeque æternum durat.

Erat autem illud excisum ex petra, ex lapide vno viuo solidoque, vt erat mons Caluariæ, in cuius latere occiduo situm erat hoc monumentum, petrosus maximè. Hortus autem, in quo sepulchrum, à loco crucis, spacio octo & centum pedum, meridiem versus distabat, situs ad Occidentem ciuitatis.

(c) Comment. in Marc. & alibi.

Forma sepulchri Dominici.

Auctore Beda, (c) ea forma excauatum è petra rubicundi albique coloris sepulchrum dominicum est, vt foris quidem sit quasi rotunda domuncula, intus verò cubiculi formam referat, eius altitudinis, vt vir stans in eo rectus, vix possit culmen extensa manu attingere. Introitum foris habet ab oriente, intus verò in latere Aquilonari loculum lecto similem, ex eadem rupe excisum, septem quidem pedes longum, trium verò palmorum mensura cætero pauimento altius eminentem, idoneum excipiendo corpori viri mortui, patentem, non desuper, sed ex australi parte, qua corpus posset commode inferri, prout Iesv corpus eò illatum & impositum fuit.

Terra

Terra ipſa inſuper, (d) quæ Domini adiacet ſepulcro, diuinam quandam ex Dominico corpore proximè poſito virtutem hauſit; vt meritò fideles illuc peregrinantes auide ſolerét accipere, quia, tum ad morbos curandos, tum etiam ad dæmones perfugandos, vti conſueuerint.

(d) Ex D. Aug. de ciuit. Dei Greg. Tur. de glor. mart. c. 7.

Eſt eius rei locuples teſtis S. Auguſtinus, dum hæc ait de Heſperio viro Tribunitio: *Acceperat autem ab amico ſuo terram ſanctam de Hieroſolymis allatam, vbi ſepultus Chriſtus die tertio reſurrexit; eamque ſuſpenderat in cubiculo ſuo, ne quid mali etiam ipſe pateretur. At vbi domus eius ab illa infeſtatione purgata eſt, quid de terrâ illâ fieret, cogitabat, quam diutius in cubiculo ſuo reuerentiæ cauſâ habere nolebat. Fortè accidit, vt ego & collega meus Epiſcopus Sinicenſis Eccleſiæ Maximinus in proximo eſſemus; vt veniremus rogauit, & venimus: Cumque omnia nobis retuliſſet, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atq; ibi orationum locus fieret, vbi etiam poßent Chriſtiani, ad celebranda, quæ Dei ſunt, congregari.*

Terra S. ſepulchri in quanto honore habita.

Hæreticis verò non dari acceſſum ad ſepulchrum Domini, niſi reconciliatis, narrat Sophronius. (c)

(c) *Prat. Spirit. cap. 48. & 49.*

CAPVT XVI.

DE SVDARIO CAPITIS.

DE sudario, quo caput Domini in sepulchro obuolutum fuit; ita scribit Beda: (a) *Sudarium capitis Domini post resurrectionem eius, mox Christianissimus quidam Iudæus furatus, vsque ad obitum diuitiis sibi affluentibus habuit. Qui moriturus interrogat filios, qui Domini sudarium, qui cæteras diuitias velit accipere: maior thesauros rerum, minor elegit sudarium. Et mox illi decrescunt opes vsque ad paupertatem, fratri autem cum fide crescunt & opes, quod vsque ad quintam generationem fideles tenuerunt. Hinc ad impios perueniens, diuitias tantùm auxit, vt Iudæis, & hoc multo tempore: donec post longa litigia, quibus Christiani Iudæi se Christi, infideles verò se patrum suorum affirmabant hæredes, Maiuuias Saracenorum Rex, qui nostra ætate fuit, iudex postulatur, qui accensa grandi pyra iudicem precatur, qui hoc pro suorum salute super caput habere dignatus est. Missum ergo in ignem sudarium veluti raptum euolat, & in summo aëre diutißimè, quasi ludendo volitans, ad vltimum, cunctis vtrinque intuentibus, sese leuiter*

(a) De loc. sanct. c. 5.

uiter in cuiusdam de Christiana plebe sinum deposuit; quod mane mox totus populus summa veneratione salutabat & osculabatur. Habebat autem longitudinis pedes octo.

Hoc sudarium volunt quidam, illam esse sindonem, quæ corporis Christi delibuta vnguento; in sepulchro posita fuit, veluti operimentum, & stratum, cui etiam imago Christi in sepulchro iacentis impressa est, asseruaturq́ summo honore in Ecclesia Taurinensi, de qua capite proximo agemus.

Capvt XVII.

DE SACROSANCTA SINDONE CHRISTI.

E Sacris Euangeliorum libris constat, à Ioseph ab Arimathia emptã Sindonem mundam, in qua Christus è cruce depositus, sit inuolutus. Est porrò Sindon, pannus lineus, ex lino Ægyptiaco, subtiliore illo delicatioreque textus. *Sindon quid.*

Huiusmodi sindones siue linteamina Saluatoris varijs in locis asseruantur: inter quæ ea principatum ferè tenet, quæ Camberiaci in Sabaudia honorificè olim seruabatur, nunc verò in Augusta Taurinorum Pedemontani tractus Metropoli custoditur. Præterea in Ecclesia Traie-

ctensi inferioris Germaniæ linteum Saluatoris seruatur: & Bisuntini in Sequanis, & Tudertani in Lusitania Christi linteamina haberi dicuntur. Nam præter Sindonem, quam emerat Ioseph ab Arimathia, alia etiam linteamina, vitæ, & institæ fuerunt adhibitæ, de quibus Lucas dicit: (a) *Procumbens* vidit linteamina sola posita. & Ioannes: (b) *Ligauerunt illud linteis.* Et rursum: (c) *Vidit linteamina posita & Sudarium.* Et ideo D. Augustinus dicit; (d) *Licet Ioseph Christum inuoluerit Sindone, propterea non prohibetur intelligi, quod & alia lintea postea addita fuerint à Nicodemo, videlicet Sudarium, quod capiti adhibebatur, & institæ, quibus totum corpus alligatum erat.*

(a) *Luc. 24.*
(b) *Cap. 19.*
(c) *Cap. 20.*
(d) *Lib. 3. de consens. Euang. c. 23.*

Eiusmodi ergo lintea pretioso Christi sanguine consperſa, in alijs Ecclesijs maxima cum pietate seruari, & vero simile & æquum est, vt interim non taceam ex Camberiaco linteo alia exemplaria esse excepta, quæ in magna existimatione, vt par est, seruantur.

Legantur, quæ hac de re scribunt Pingonius, (e) Ioannes Landspergius, (f) Alfonsus Palæotus, (g) eiusque Scholiastes Daniel Mallonius.

(e) *Lib. de Sindon. Euangelica.*
(f) *De Paß. Dom.*
(g) *In explic. Sind.*

Est autem Sindon supradicta longitudinis

dinis duodecim palmorum, latitudinis verò trium, vt teſtatur Alfonſus Palæotus.

Pars verò Sudarij, quo CHRISTI Domini caput & facies in ſepulchro tecta fuerant, Moguntiæ aſſeruatur in ſacriſtia ſummi templi, benè graui & polita quadrata theca argentea incluſa. (h)

(h) Ser. rer. Mog. lib. c. 17.

Alia item pars ibidem in alto virginum monaſterio, quæ quotannis, poſtridie Paſchatis, ex ambone quodam, prælucentibus facibus à Reuerendiſsimo D. Suffraganeo explicatur & monſtratur populo, dum ſimul canit: *Dic nobis Maria quid vidiſti in via? Sudarium & veſtes.*

Hanc dono accepiſſe S. Bilhildem à principe quadam fæmina, cui Kunegundis nomen, traditur ibidem. (i)

(i) Lib. 2. c. 31.

CAPVT XVIII.

DE SANGVINE CHRISTI.

SANGVIS Domini noſtri IESV Chriſti varijs locis in magnâ veneratione, miraculiſque clarus habetur; is miraculoſus, an è ſacratiſsimo Domini Saluatoris noſtri corpore profluxerit, non eſt huius loci diſquirere; ſed probatas hiſtorias nonnullas adducere.

In hiſtorijs clariſsimæ vrbis Mantuæ

legimus, quod cùm temporibus Henrici II. Imperatoris terra maximis concusſionibus quateretur, anno eiuſdem Imperij III. ſanctus Andreas Adeberto Bonifacij Comitis Mantuæ ab eleemoſynis, pio probatoque viro apparens, locum indicauit vbi pretioſus Chriſti ſanguis qui è Chriſti latere effluxerat, à B. Longino pixide exceptus conditus fuerat, dicens terram tot motionibus concuti, quia Dominici ſanguinis quo mundus redemptus eſt, Theſaurum diutiùs occluſum, & ignotum continere non patitur.

Platina in vitâ Leonis III. eundem Pontificem Mantuam profectum ad viſendum Chriſti ſanguinem, qui tum ibi reſeruabatur miraculis crebris coruſcans.

Is verò à Mãtuanis benignè ſuſceptus, approbato Chriſti ſanguine ob frequentia miracula ad Carolum Magnum proficiſcitur, vt hominem veritatis cognoſcendæ cupidum eius certiorem faceret.

De miraculo Brugis facto per ſacratiſſimum Chriſti ſanguinem ibi aſſeruatum hæc tradit Iacobus Meyerus. (a)

(a) Annal. Flandr. lib. 17. an 1470. & lib. 5. an. 1150.

Tertio Idus Nouembris, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo, ferijs ſancti Martini Turonenſis Epiſcopi pulchrum fit

fit Brugis Flandriæ vrbe miraculum per sacratissimũ sanguinẽ Christi Domini. Mulier quædam infantem enixa, qui videbatur esse mortuus, nõ cessat inclamare sacrosanctum Christi cruorem in templo Diui Basilij asseruatum: pro consolatione bonaque fide & fiduciâ suâ, omne quod petijt, obtinuit. Post diem tertium quam erat sepultus, defossus infans vixit & baptizatus est. Theodoricus Princeps septimo Idus Aprilis anni à Domini Natiuitate millesimi, centesimi quinquagesimi, à sacro bello, quod cum Balduino Rege Hierosolymitano gesserat, reuertens, & incredibili dictu, quanto gaudio ac gratulatione à Flandris acceptus Princeps.

Hoc sacrosanctißimum paßi Domini monumentum pars est, vt tradunt, preciosißimi sanguinis, qui de Christi exanimi corpore, priusquam sepeliretur, fuit extersus: Anno verò millesimo trecentesimo trigesimo primo, mense Ianuario, in ferijs D. Pauli Apostoli, sacrosacer ille sanguis, in nouam phialam cristallinam transpositus est, per Leoninum Abbatem Bertinianum in phialâ cristallina Brugas deportatus, & in æde D. Basilij collocatus.

De SS. sanguine Christi in inclito & amplissimo VVeingartensi Monasterio asser-

asseruato, subiungam narrationem à Reuerendo & Eruditissimo viro P. Christophoro Hamerer ibidem Sacerdote Professo mihi submissam, & est huiusmodi.

SVCCINCTA

NARRATIO HISTORIAE SACROSANCTI SANGVINIS *Christi in VVeingartensi Monasterio reconditi.*

LONGINVS vnus militum Saluatori nostro in crucem suspenso adstantium, posteaquam latus Christi vindicis salutis nostræ cuspide diræ lanceæ perfodisset, & defluente ex vulnere, SS. sanguinis & aquæ liquore, ceu diuino quodam collyrio, caligantes suos oculos inunctos, persanasset, augustiore fidei lumine in mente collustratus, aliquam partem sanguinis & aquæ lateris Christi religiosè spongiâ excepit, & vasculo recondidit, reconditumque omni balsamo pretiosiorem thesaurum, secum asportans, declinando perfidæ Iudaicæ gentis persecutionem, Italiam petiuit, & tandem MANTVAM peruenit, vbi eundem thesaurum, vasculo probè munito inclusum terræ infodit, ibidem pro Christo sanguinem effudit sub Octauio Præside Mantuano, per capitis amputationem, in

in loco, qui hodiernum vſque in diem CAPPADOCIA dicitur, glorioſi Martyrij palmam obtinēdo. Viſitur etiamnum in loco Martyrij ſancti Longini columna ſaxea, cui hæc verba apparent inciſa.

LONGINVS QVI LANCEA
CHRISTI LATVS APERVIT
SANGVINEMQ; EIVS ANN. III.
MANT. DETVLIT. HOC IN
LOCO CAPPADOCIA NVNCVP.
SVB PRAESIDE OCTAVIO
DECOLL. EST
IDIB. MART. LXXI.
GALBA IMP.

Monſtratur etiam hodie ſancti Longini corpus Mantuæ in ęde ſancti Andreę Apoſtoli, ſarcophago incluſum, cum hac inſcriptione: LONGINI EIVS QVI LATVS CHRISTI PERCVSSIT OSSA.

Mantuana Chronica perhibent Carolum IV. Imperatorem Mantuam veniſſe, qui SS. cruorem Domini religioſo cultu veneratus, dono accepit os dextri brachij ſancti Longini Martyris, & partem armi eiuſdem. Cumulatum hiſce rebus teſtimonium prębet diploma eiuſdem Imp. in Archiuis ſancti Andreæ Eccleſiæ Mantuæ aſſeruatum, quod datum ante caſtellum Burgiforti, Anno Domini M.CCC.LXVIII. Calendis Iunij, &c. SS. ſanguinis Chriſti theſaurus immenſus vbi multis ſæculis humi defoſſus latuiſ-

tuiſſet, ſæculo tandem innotuit, Deo ita volente, qui diſponit omnia ſuauiter, inuentus Caroli Magni Imperatoris æuo. *Leo III. Papa* (inquit B. Platina) *cum ſeditionibus ſemper vexaretur, ab vrbe diſcedens Mantuam proficiſcitur ad viſendũ Christi ſanguinem, qui tum miraculis magno in pretio erat. Is autem à Mantuanis perbenignè ſuſceptus approbato Chriſti ſanguine, ob frequentia miracula ad Carolum proficiſcitur, vt hominem veritatis cognoſcendæ cupidum eius rei certiorem faceret.* Diſertius de hac prima ſanguinis Chriſti inuentione, ſcribit Cæſar Baronius Cardinalis, Annal. IX. in anno gratiæ D.CCC.IV. *Perlatum eſt ad Imperatorem Carolum Magnum æſtate præterita, Chriſti ſanguinem in Mantuâ ciuitate fuiſſe repertum. Propter hoc miſit ad Papã Leonem III. petens vt huius famæ veritatem inquireret. Cæterum quod ad ſanguinem Chriſti pertinet, re multũ examinatâ inuentus eſt & comprobatus ille fuiſſe, qui ex Chriſti corpore fluxit tempore Paſsionis eius, non autem ille qui Beryti ex ſacra crucifixi imagine fluxerat; de qua veritate extare dicuntur, ſacra diplomata Romanorum Pontificum; vt de his non ſit amplius dubitandum, &c.* Hucuſ-

que

que Baronius. Porrò prædicti SS. cruoris Christi pignora, cum ob continuos bellicos tumultus, quibus Mantua præcipuè id æui conflictabatur, piorum hominum industriâ fuissent abscondita atque iterum terræ infossa, duobus euolutis sæculis in anno à partu Virgineo quadragesimo octauo supra millesimum, ne terra diuinas gazas diutiùs operiret, sanctus Andreas Apostolus, Adalberto cæco quidem sed simplici & recto viro tertium commendauit, vt in Xenodochij Mantuani horto, propè sacellum S. Andreæ, terram effodi procuraret, fore vt inuento ibi sacro sanguine Christi, & corpore S Lōgini, visum quantocyus recuperaret. Rem omnem ad Bonifacium præinclytum Mantuæ Dynastam & coniugem ipsius Beatricem (quorum stipe atque eleemosyna Adalbertus victitabat) protinus defert, terra in designato loco effoditur, & ex ipsius visceribus, diu quæsitus thesaurus eruitur, capsula inuenitur marmorea affabrè elaborata, atque vndique probè munita, in cuius operculo ex plumbeâ laminâ, insculptum legebatur, SANGVIS IESV CHRISTI, qui in ipsa capsula continebatur, vna cum parte spongiæ, qua idem sanctiss. cruor exceptus fuerat sed & S. Longini corpus ibidem, pro vt Apostolus prædixerat, tumula-

mulatum, repertum fuit honestioreque loco depositum. Continuo ingentia prodigia ac miracula, in loco inuentionis cruoris Dominici, visa atque audita. Terra pondere tam sacri thesauri exonerata cōtremiscit, & mirificæ suauitatis odoris fragrantiam (pro vt quidam oculatus testis, Saxo dictus litteris consignauit, qui huic secūdæ miraculosæ sanguinis Christi inuentioni præsens fuit) exhalat, cæcus Adalbertus iuxta Apostolicum præsagium lucis vsuram indipiscitur, plurima ægrientium, languentiumque turba sanescit, vniuersa Mantuana ciuitas collætatur, Deusque in benedictissimi filij sui sanguinis reuelatione collaudatur. Inuenti autem dominici cruoris, fama percrebrescente, nec non in dissitas quoque regiones peruolante, sanctissimæ memoriæ Leo IX. Papa, Pontificiæ suæ dignitatis anno primo Mantuam se confert visisque in honorem sanguinis Christi patratis miraculis benignitatem supremi Numinis mirabundus dilaudat, & quînam cælestem hunc thesaurum Mantua exportatum, Romam, ad matrem Ecclesiarum illo ditandam, deferret, viam & rationem excogitat, verum enimuerò Pontificis beatiss. machinatione ad ciuium Mantuanorū aures delata extemplo ad arma conclamant, vi erepturis sibi

inuen-

inuentum cruorem dominicum, nihil veriti Apoſtolici culminis apicẽ, vim inferre parant. Horum igitur pium zelum & erga ſacra pignora diuinitus Mantuanæ vrbi conceſſa feruentem amorem, optimus Præſul conſiderans, tempori cedendum ratus, & ſpe ſua illa vice fruſtratus, Mantua diſceſsit, quo tamen non ita multo poſt reuerſus eſt, exoratus precibus Henrici III. Imp. Auguſti (Italici ſecundum Henricum indigitant) Mantuam venientis, qui Imperator vna cum Bonifacio Mantuano Dynaſta ſuis impenſis S. Andreæ templum, in auguſtiorem formam redegit, adiũcto Monachorum Ord. S. Benedicti Cœnobio, idemq́; templum à beatiſſ. Romano Pontifice Leone IX. dedicari, atque ibi ſacroſanctas dominici cruoris Reliquias collocari effecit. Mantuanus populus, officijs tam ſancti Papæ non ingratus, eidem particulam aliquam Chriſti ſanguinis & aquæ cõdonauit. quod ſacrum munus beatiſſ. Pontifex exultans ſuſcepit, ſuſceptumq́; Romam deferens, Lateranenſi Baſilicæ adſignauit, vbi ſingulis annis etiamnum, ſecundum veſperas Paſchalis feſti, inter plurima alia ſacra lipſana, fidelium Chriſtianorum turmis, videndum honorandumque exhibetur. Sed neque pium Imperatorem Henricum, Mantuanorum

pietas ac liberalitas, indonatum Mantua demigrare passa est, quin & eundem portione aliqua sanguinis Christi donatum, in Germaniã redire permisit. Huius sacri sanguinis pignore Imperator se beatum iudicans, illicq; inter Imperatoria cimelia principem locum tribuens, præstantissimi amuleti instar secum in Germaniam asportabat, & vt par est, debitæ venerationis cultu numquã non honorabat, vsque dum ex hac mortali vita erat emigraturus (emigrauit è vita A. D. MLVI. 3. Non. Octob.) venerabilis cruoris Christi guttam, ex amore in genus humanum à Christo profusam, in pignus sinceri amoris, grãdioris muneris loco, inclyto Flandrensium Comiti Balduino donauit. Balduinus verò, cum aliis cimelijs ac magni pretij thesauris, eandem sanguinis guttam, vnicè dilectæ filiæ suæ Iudithæ contradidit, quæ primo coniugio coniuncta fuerat Tostoni seu Tostico Northumbriæ in Anglia Comiti, Godvvini Cantiæ Comitis filio, Haraldi & Edithæ eruditionis laude, & morum probitate Virginis spectatissimæ fratri. Hæc Editha ab Edvvardo Angliæ rege sanctissimo, in regni consortem assumpta fuit, atque in ipso matrimonio, cum eadem raro in regia stirpe exemplo, illibatum castimoniæ florem conseruauit vsque ad finem vitæ,

clau-

clausit autem extremum vitæ diem S. Eduardus Rex Anno reparatæ salutis humanæ MLXVI. Nonis Ianuarij, Hoc sancto rege ex humanis exempto, cælitumque choris inserto, confestim Haraldus Tostonis frater Angliæ regnum præter ius & fas infestis armis occupauit, regiũ diadema & sceptrum arripuit, contra iuramentum quo de regno non inuadendo, obstrictus erat Guilielmo Notho Normanniæ (quem etiam in regno Anglicano successorem habuit, cum ab eodem, anno eodem quo à fraterna cæde reuersus fuerat Haraldus, in prælio interfectus fuisset) Duci, contra Haraldum bellum mouit Tosto frater iunior, ascito in belli Societatem Haraldo Northvvegiæ rege, aperto Marte cum hostium copijs conflixit, sed Tosto fratribus viribus ac fortuna inferior, vna cum Northvvegiensi rege,in prælio victus occubuit. Iuditha igitur gliscente adhuc inter fratres certamine, in Flandriam ad paternos lares reuersa fuit, & viduata iam priore marito Tostone, secundis nuptijs copulatur Guelphoni IV. Altorffensi Comiti, ac iam designato, ab Henrico IV. Imp. Noricorum Duci. Celebratis ergo splendidissimo apparatu nuptijs, Iuditha cum marito Duce Guelphone in Sueuiam ad Alttorffense opidum commi-

grauit, ſedemque ibi fixit, allatis ſecum præter multa alia ſacra cimelia & lipſana, Reliquijs cruoris Chriſti, & oſsibus SS. Martini & Oſualdi, argenteis grandiuſculis ſtatuis incluſis, quæ omnia, vel viuente adhuc Iuditha, vel ipſa iam defuncta ceſſerũt Benedictinis Patribus Vinearum Monaſterij, in Altorffenſi opido ab inclytis maioribus Guelphonis Ducis conditi. VVeingartenſia Chronica conteſtantur, illuſtriſsimam Duciſſam Iuditham in viuis adhuc degentem, pretioſiſsimam ſanguinis Chriſti guttã, VVeingartenſi Monaſterio contradidiſſe; quod circa Annum nonageſimum quartum ſupra milleſimum, vel antea factum fuiſſe neceſſum eſt, cum in præfato año MXCIV. Iuditha in viuis eſſe deſierit, cuius obitum venerabilis Conſtantienſis presbyter Bertholdus (qui illa tempeſtate claruit) in Appendice ad Hermanni Chronicon, hiſce verbis deſcribit: *Anno Domini. MXCIV. Iudintha vxor Ducis VVelphonis Baioariæ, iam diu infirmata, & ea caſtigatione non parum meliorata, diem clauſit extremum, 4. Non. Martij, & apud Monaſterium, quod maritus eius in honore S. Martini, in proprio allodio, conſtruxit, à Gebehardo Conſtantienſi Epiſcopo, honorificè ſepelitur, Ad quod Monaſterium maritus eius Dux Ca-*

pellam ipsius tradidit, quæ in auro & argento, & pretiosissimis paramentis, mille libras pene valuit, idemq; Monasterium in possessionibus centum pene mansis meliorauit, sicq; melioratum, & de sua potestate emancipatum, S. Petro sub iure tributario contradidit, &c. Hactenus Bertholdus.

Ex illo igitur tempore senis iam sæculis, vsq; in præsentem diem sanguis Christi, in Monasterio SS.Martini atque Osvvaldi, vulgo VVeingarten, reconditus asseruatur, ac concursantis Christiani populi deuotione, quotidie frequentatur, debitæque venerationis cultu, vt congruum est, honoratur. Mantuæ quoque Christi cruor ibi relictus magno cũ honore custoditur, & quotannis circa festum Christi cœlum ascendentis, ingenti confluentium Mantuam populorum veneratione, propalam in æde sancti Andreæ Apostoli, commonstratur. Non ita multis ab hinc annis, piæ memoriæ, Serenissimus Mantuæ & Montisferrati Princeps Vincentius Gonzaga, sanguinis Christi, cultus amplificandi studio, Anno gratiæ M.DC.VIII. instituit ordinem Illustrium Equitum SS.sanguinis Redemptoris IESV Christi apud Mantuanos, Paulo V. Pontif. Max. consentiente atque approbante. Meminerunt hu-

huius Ordinis Franciſcus Mennenius, Antuerp. in Delitijs Equeſtrium ſiue Militarium Ordinum, recentioris ac locupletioris editionis, fol. 191. Autbertus Miræus Originum Equeſtrium libro II. cap. VI. Sanguinis Chriſti in VVeingarten reconditi, præter domeſtica VVeingartenſia Chronica mentionem faciunt, M. Gulielmus de Colonia, natione Saxo, in Tractatu de cruore Chriſti conſcripto Anno Domini 1280. Atranus Gebula lib. de origine Guelphonum Comitum; Caſparus Aſianus I.C. cap. 4. Italicæ Hiſtoriæ Mantuani ſanguinis editæ Mantuæ Anno Domini 1609. Antonius de Vepes Hiſpanico Tomo III. Annalium Benedictinorum, fol. 156. Caſparus Bruſchius in deſcriptione Vinearum Monaſterij; Martinus Cruſius Annalium Sueuicorum, libro 1. part. 2. cap. 16. R. P. Iacobus Gretſerus de ſacris Peregrinationibus, libr. 1. cap. 14. Franciſcus Collius Mediolanenſis Theologus, de ſanguine Chriſti libro quinto, cap. 2. fol. 857. Allegatorum ſcriptorum Tractatus in VVeingartenſi Bibliotheca (plurimorum ſiquidem aliorum Authorũ de ſanguine Chriſti vel in VVeingarten, vel Mantuæ recõdito, ſcribentium nomina prætereuntur eo quod ipſorum opera in VVeingartenſi Cœnobio haud reperiantur) inueniuntur, vti ſub-

ſubnotatorum quoque libri ibidem inueniuntur, qui de ſanguine Chriſti Mantuæ inuento, fuſius nonnihil differunt, hoſce euoluere poterit, quicunque de inuentione, venerationeq; Mantuani ſanguinis Chriſti, planiùs pleniùſque inſtrui deſiderat.

AVTHORES INEDITI DE SANGVINE CHRISTI MANtuæ inuento ſcribentes.

R.P.F. Petri Gauaſetti de Nuuolaria Ord. Carmelitarum Opuſculum de ſanguine Mantuæ Italicè.

R.P. Ioannis de indagine alias Hagen Cartuſiani tractatus de ſanguine & cruore Chriſti, & de Sacramento Altaris.

Chronicon & Catalogus Abbatum Mátuani Monaſterij S.Andreæ, quomodo in Collegiatam Eccleſiam Canonicorum conuerſum eſt.

Paulus Florent.Ord.S.Spiritus, lib.2. Mantuanæ hiſt. diſputat de Chriſti nutrimentali ſanguine in terris relicto.

R.P. Theodori Bachinij de Mantua Ord. Carmelitarum de obſeruantia SS. Theologiæ Doctoris, ſolutiones ac reſponſiones, ad 23. quæſtiones A.D. 1605. propoſitas à F.C.H. VVeingartenſi Cœnobita, ſuper controuerſijs ſanguinis Chriſti in terris relicti.

Autores inediti de ſanguine Chriſti Mantua inuento ſcribentes.

MArij AEquicolæ Chronicon Mantuanum.

Flores Mantuani Chronici collecti operâ Stephani Gionti Mantuani, fol 40. agitur de S. Longini Martyrio, fol 54. de inuentione ſanguinis Chriſti habetur fuſa narratio. Adiuncti ſunt Rithmi Italici de origine & præſtantia Mantuanæ vrbis deque cruore Chriſti ibi recondito, compoſiti ſtudio Raphaëlis Toſcani Mãtuani ciuis, Mantuæ excuſi A. D. 1587.

R. P. Chriſtophorus Silueſtranus Carmelitani Ord. Theologus, in Tractatu de SS. ſanguine Chriſti, Veronæ impreſſo A. D. 1596.

D. Benedictus Luchinus, ex Priore Mantuano, Abbas Monaſterij S. Mariæ Gratiarum, Ord. S. Benedicti, in Chronicis de origine & familia Illuſtriſs. comitiſſæ Mathildæ. Cap. III.

LATINI SCRIPTORES DE SANGVINE MANTVANO mentionem facientes.

SIxtus IV. integrum Tractatum ſcripſit de ſanguine Chriſti.

Comment. Pij II. lib. 11. Papæ libro vndecimo, cõtinetur prolixa diſputatio de ſanguine Chriſti, vti etiam in Aurea

rea Rosa Syluestri de Prieria feria 5. Pasc.

Bapt. Mantuanus Carmelita in Trophæis Gonzagæ lib. I. De sacris diebus lib. III. in vita S. Longini, lib IV. in Leone III. Papa.

P. Alfonsus Salmeron Tomo 11. Comentariorū in Euangelicam historiam Tract. 5. Raphaël Volaterranus in Geographia Mantuæ, & Anthropologiæ lib. 16. de Longino milite ac Mart.

Alphonsus Palæotus in historia admirandâ de SS. Sindone, cap. I. § II fol 13.

Robertus Bellarm. Card. de scriptoribus Ecclesiasticis, in obseruationibus in IV. Tomum operum S. Athanasij, fol. 63. Plurimi alij auctores, iam hic non adnotantur. Præter iam allegatos auctores, asseruatur in VVeingartensi bibliothecâ, Reliquiarium siue de reliquijs & veneratione sanctorum Liber, auctore D. Ioan. Baptista Signio Congregat. S. Saluat. Can. Regul. Priore, excusus hic liber in 4. Bononiæ Anno Domini. 1600. In hoc libro passim agitur quis cultus sit Christi sanguini in terris residuo tribuendus.

Porrò miracula SS. cruoris Dominici, in VVeingartensi cœnobio asseruati beneficio facta tum antiqua, tum recentia plurima adnotauit in IV. libris, quos de historiâ sanguinis Christi consarcinauit prædictus R. P. Christophorus Hame-

rer doctiſsimus Theologus & cœnobita præfati ampliſsimi Monaſterij, meus ſingularis amicus, à quo etiam prædicta accepi.

Potiſsimum autem elucet ingens virtus huius ſanguinis in pellendis tempeſtatibus cum nubes illo conſignatæ continuò vel in aquas reſolutæ diſparent, vel vento retrò diſiectæ ſine clade grandinis plerunque euaneſcunt; ſubſidium huius ſanguinis maximè ſentiunt, ex ſanguinis è naribus ſtillatione nimiâ de vitâ periclitantes, quàm primum votum peregrinationis ad ſanguinem factum, emitunt, ſiſtitur ſanguinis fluxus. Vnde quotidianus fermè vota ſoluentium concurſus cernitur, quod vel ex numero pœnitentium colligere licet, cum intra decennium numerentur ad dictum Monaſterium confeſsionis gratia veniſſe. 124222. ab hæreſi autem abſolutos fuiſſe vndecim vltra centum; Ita quod S. Paulinus de S. Felice memorat, nos verè de SS. ſanguine aſſerere poſsimus:

Omni namq; die teſtes ſumus vndiq; crebris
Cœtibus aut ſanos gratantia reddere vota
Aut ægros varias petere ac ambire medelas.

De ſanguine Chriſti miraculoſo, plura hic non afferam, quam quod in Mar-

Martyrologio Romano 5. Id. Nou. annotatur: *Beryti in Syria commemoratio imaginis Saluatoris, quæ à Iudæis crucifixa tam copiosum emisit sanguinem, vt Orientales & Occidentales Ecclesiæ ex eo vbertim acceperint.* Contigit eiusmodi insigne miraculum temporibus Constantini Iunioris & Irenes AA. atque vt testatur Sigebertus in Chronico anno Domini. DCC.LXV. Et ne quid prætereamus, agunt Græci etiam commemorationem anniuersariam 5. Idus Augusti alterius miraculi ex sacra imagine Saluatoris, quæ Constantinopoli à Iudæo ferro percussa; sanguinem fundens in puteum deiecta est. Plura de his leges apud R.D. Card. Baronium, tum in Annalibus, cum & in notis ad Martyrol.

CAPVT XIX.

DE FONTE MIRACVLOSO, IN QVO CHRISTVS POST resurrectionem dicitur lauisse pedes.

CAstellum Emauntem (a) nobile fuisse olim oppidum constat, sed ob cæsos ibi Romanos milites, haud multum ante tempus à Varro Syriæ præside crematum est.

At posteà Romani capta Hierosolyma,

(a) *Iof. lib. 17. Antiq. c. 12. D. Hier. de loc. Hebr. Sozom. hist. Eccles. lib. 5. c. 20.*

ma, & parta contra hostes victoria, eam Nicopolim nuncuparunt, nomine ex euentu belli imposito. Ante hanc Palæstinæ vrbem, prope triuium, in quo Christus, post resurrectionem à mortuis, cum Cleopha incedens, simulabat se ad alterum pagum properè contendere, est fons quidam salutaris, in quo non homines modo qui ægrotant, loti curantur, verum etiam animalia quæ varijs morbis laborant: Nam ferunt Christum vna cum discipulis quodam tempore è via ad fontem illum diuertisse, inque eo lauisse pedes, & aquam ex eo tempore vim medendi morbis habuisse. Ita Christianus Adricomius in descriptione terræ sanctæ, *in tribu Iuda n. 112.*

CAPVT XX.

DE VESTIGIIS PEDVM CHRISTI DOMINI AB EIVS IN cœlum ascensione in monte oliueti impreßis.

EGregium sanè monumentum suæ ad cœlos ascensionis Dominus redemptor noster non modò suis Apostolis, sed posteris quoque spectandum reliquit, nimirum sacrorum pedum suorum terræ impressa vestigia. De quibus hæc apud D. Hieronymum & alios. (a)

(a) D. Hier. de loc. Heb. Paulin. ep. 11. Sulpit. l. 2. hist. Beda de loc. sanct. c. 7.

Mons

Mons Oliueti ad Orientem Hierosolymæ, torrente Cedron interfluente; vbi vltima vestigia Domini humo impressa hodieque monstrantur: cumque terra eadem quotidie à credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuò recipiunt. Denique cum Ecclesia, in cuius medio sunt, rotundo schemate & pulcherrimo opere conderetur, summum tamen cacumen, vt perhibent, propter Dominici corporis meatum, nullo modo contegi & concamerari potuit, sed transitus eius à terra ad cœlum vsque patet apertus.

LIBER III.

CAPVT I.

DE D. DEIPARAE RELIQVIIS.

QVANDOQVIDEM *ita nos homines*, teste Diuo Augustino(a) *à naturâ comparati sumus; vti non solùm ex aspectu eius, quem amore prosequimur, voluptatem capiamus; sed etiam illius*

(a) *Lib.* 1. *de ciu. Dei, c.* 12.

DO-

DOMVM, VESTES ET CALCEOS *cum magnâ lætitiâ contemplemur*; ita dicendum est de beatissimæ Deiparæ Patronæ nostræ Reliquijs. Si enim Patrum Ecclesiæ Hieronymi, (b) *Augustini*, (c) (vel potius Fulberti & alterius sub nomine Hieronymi) Bernardi, (d) Anselmi, (e) Iuuenalis Hierosolymitani, (f) aliorumq; (g) vniformis est sententia, beatam Virginẽ non animâ solâ beatam, sed & corpore cœlestem aulam inijsse; Quid Reliquiarum eius (Græcis λειψάνων) nobis in hoc mortali & miserabili deserto restabit, quod iactemus, veneremur, lætemur? Equidem ingens gaudiorum incẽtiuum nobis esset, si Christophori illius thalami vsurâ frueremur. Etenim si beato Chrysostomo (vt omittam quod Titi Liuij, Eloquentiæ nomine aliquot Iberos; Salomonis, Sapientiæ & Magnificentiæ tituli Reginam Saba; Petri vt Apostolorum Principis, Paulum videndorum desiderium in viam traxerit) illud Præsepe Domini, quod Constantinopoli olim, nunc Romæ asseruatur, adeò animos mouit, vt exclamaret; (h) *O si mihi liceret videre illud Præsepe, in quo Dominus iacuit?* Nobis non licuerit magis dicere; non libuerit fauces in parem Aposiopesim laxare: *O si nobis liceret videre regium illud*

Præ-

(b) *tract. de Assumpt.*
(c) *Ser. 1. de Assumpt.*
(d) *Ser. de Assumpt.*
(e) *Lib. de excell. Virg. c. 8.*
(f) *à Niceph. citatus lib. 2. cap. 23.*
(g) *Vide Baron. in Mart. Rom. 15. Aug. Maria corpore & anima beata.*
(h) *Hom. 2. in Luc.*

Præſepe MARIAM, *in quo Dominus nouem menſes iacuit; ex quo humanitatis ſuæ ſumpſit originem?* Verùm non id viſum Domino, qui per Pſalmographum iam antè edixerat: (i) *Exurge Domine in requiem tuam; Tu, & Arca ſanctificationis tuæ.* Neq; enim par erat, vt quæ incorrupta corpus ſubminiſtrauerat, corruptioni nulli obnoxiũ, de quo propterea ab eodem Propheta dictum; (k) *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem;* Eadem principium, origo & quaſi fons, alterationem eiuſmodi à morte pateretur. Vnde Beatus Ioannes Damaſcenus (l) *Cuius in partu incolumis virginitas manſit, eadem è vitâ migrante, corpus ita conſeruatum eſt, vt non diſſolutum, ſed ad præſtantiorem & diuiniorem vitam, quæque non iam morte interrumpitur, verum infinita ſæcula ſæculorum permanet, translatum ſit.* Et inferiùs paulò Deiparam alloquens: *Non enim*, inquit, *anima tua in infernum deſcendit, nec caro tua corruptionem vidit.* Hactenus ſanctus Ioannes Damaſcenus.

(i) *Pſal.* 131.

(k) *Pſal.* 15.

(l) *Orat.* 1. *de Dormit. Deip.*

Reliquiæ B. Mariæ quales ſuperſint.

Ergò eius aſſumpto & cœlis donato corpore, ſaltem id nobis boni reliquum eſt, vt quæ ſacratiſsimo iſti tabernaculo proxima fuerunt, aut inde prodierunt, lætan-

lætanter glorioséque poſsideamus atque prædicemus. Quibus obtinendis ſeruandiſque, non vltima profectò gratia ac gloria Pulcheriæ ſanctiſsimæ Heroinæ referenda eſt; quæ (teſtâte Nicephoro) (m) *Conquiſitis vndequaque Reliquijs, quæ ad* MARIAM *pertinerent, tria ei templa Conſtantinopoli ædificauit.*

(m) *Lib. 17. cap. 28. Vide Ferreolum Locr. lib. 1. c. 32. lib. 4. c. 47. lib. 5. c. 49. 20. &c.*

CAPVT II.

DE DOMO BEATISSIMAE VIRGINIS.

Domus B. Virginis nunc Laureti.

INTER Reliquias beatiſsimæ Virginis MARIAE, quas Chriſtianus orbis veneratur, Principatum facilè obtinet DOMVS eiuſdem, (in qua ipſa nata, alita, ab Angelo ſalutata, myſterium Redemptionis noſtræ inchoatum, alitus Saluator pariter & fotus) è Nazareth Lauretum in Piceno ab Angelis tranſlata, miraculorum gloriâ & omnium gentium peregrinatione maximè celebris; de qua ita ſcribit Turſellinus: (a) *Tantam* DEVS *mortalium animis inſpirauit huius ædis Lauretanæ religionem, vt quicunque ad Lauretanam ædem accedunt, non tàm ad ædem Virginis, quàm ad ipſam Virginem ſibi adire videantur; & ſanè huic* DEVS*, Deique Mater, miro quodam modo præſentiam ſuam decla-*

(a) *Præfat. hiſt. Lauret.*

declarant. Hinc diuinus ille omnium pectoribus incutitur honor ad ſacroſanctæ domus ingreſſum, hinc illud abeuntibus inijcitur eius reuiſendæ deſiderium; hinc nobilis illa perditarum, profligatarúmque mentium in diuerſa mutatio, quæ quidem perpetua ædis Lauretanæ miracula ita euidentia ſunt, vt etiam ſi deeſſent alia, quibus abundat, cunctis facerent diuinæ præſentiæ fidem: eſt autem hoc præcipuum, ac proprium templi Lauretani, vt eius religio, ac ſanctitas quotidie magis effloreſcat, cum aliquarum etiam celeberrimarum ædium beatiſſimæ Virginis, aliorumque Sanctorum celebritas, cùm aliquandiu viguerit, interdum defloreſcere videatur.

Qui verò vel quandò factum, vt ex Galilæâ Paleſtinæ Lauretum deuolarit? quæ eius hodie maieſtas, opes, fama? Rem ab exordio ex Ferreolo Locrio (b) repeto. *Quomodo illuc translata.* *(b) Lib.* 4. *c.* 40. & 41.

In Nazareth Galilææ oppido ſita ædes Virginis erat; quam ab eius morte & Aſſumptione ſacro vſui Apoſtoli comparantes, ſacellum ſeu oratorium fecêre. (c) *(c) Hier. de loc. Heb.*

Expletis inde ducentis ſexaginta circiter annis beata Helena magni Conſtantini Mater, templo celeberrimo eandem circumdedit; Nicephoro taliter atteſtan-

(d) Lib 8.c.30. te: (d) *Inde Orientem versus* HELENA *descendens, Nazareth peruenit; & Salutationis Angelicæ domo repertâ,* DEI *Genitrici peramænum excitauit templum.*

Caput in dies arrigebat, in locũ sedula Christianorum pietas, ad vsque Cosdroæ Persarum Regis tempora, quo rerum potiente & patiente Fortuna Iudæa Agarenorum tristissimum subijt iugum: inde immanissimorum Turcarum anno quasi M.L. etiam leges accepit. Quò factum, vt pro pietate impietas laxis frænis incesseret; Virgineus vilesceret cultus.

In Illyricum deportata.

Non tulit Virgo; spretáque Asiâ, *Europam* nostram, eo donandam dono duxit esse, quo rarius non habet orbis. Ergò ann. M. CC. XCI. septimo Id. Maij, Vigilia noctis II. Nicolao IV. Pont. Max. Ecclesiam moderante, sacra AEdes in Illyriam, Cœlestium Geniorum operâ deportatur; ac iuxta Flumen oppidum deponitur. Luge Iudæa; Euge Dalmatia, etsi non diu. Etenim annis tribus & mẽsibus nouem actis; dico, anno M CC XCIV. Bonifacio VIII. sedente, tristi Illyricorum sorte in Italiam (Gibellinorum tragœdiæ tum illam personabant) eodem famulatu defertur, ac Marcam Anconitanam occupat. Veruntamen istic variat loca.

Item in Marcam Anconitanam.

loca. Primò namque ſedem legit iuxta Recanatẽſem ſaltum; inde octo poſt mẽſes, ad Germanorum collem trãſmigrat; ac tandem firmiorem fixura pedem, Loretano in iugo anno M. CC. XCV. ſe ſe locat. Eſt autem Loretum Piceni ad Muſionem fluuiũ oppidum, ſecundo abs Adriatico mari lapide abiunctum. Templo Paulus II. Pontif. Max. ſua fundamina ac incrementa dedit; perfecit Robureus Cardinalis Xiſti IV. nepos. Iulius autem II. Turri & pari ingentium Campanarum ornauit: quibus alteram Leo X. appendit librarum viginti millium.

Loretum qualis locus.

Templum quando & à quibus ſtructum.

Sixtus V. Eccleſiam hanc ex Collegiatà, Cathedralem conſtituit, XV. Cal. April. Anno MDXXVI.

Templo Virgineum Domicilium ſiue Sacellum includitur, totum ex marmore, forma quadrangula, varijs in eo ſculptis hiſtorijs, longum pedes XL. largum quaſi XX. In altaris edito marmore diſticha hæc parent:

Illotus timeat quicumq; intrare Sacellum,
In terris nullum Sanctius orbis habet.
Nullus in orbe locus prælucet ſanctior iſto,
Quaque cadit Titan, quaq; reſurgit aquis.
Sanctius æde quid hac in ſancta Principe Petro
Verbum vbi cõceptum nataq; Virgo Parens?

Templa alibi poſuêre Patres; ſed ſanctius iſtud
Angelicæ turmæ, Virgo, Deuſq; locant.

Porrò eius ornatum, opes, miracula, qui doceat, lautum habes auctorem Horatium Turſelinum, ad quem te, lector, remitto. Huius domus partem ſe habere dicunt Aſcetæ Montis S. Eligij, iuxta Atrebatum. (e)

(e) *Locr. lib. 5. cap. 22.*

CAPVT III.

LECTVS, INDVSIA, ET MANICA EIVSDEM.

LEctuli aſſertoribus Onuphrio, & Attilio, (a) pars extat Romæ in S. MARIAE Maioris, in marmoreo ferculo, quod Reliquiarium dicitur.

(a) *De 7. Eccleſ. Vrb.*

B. V. Lectus.

Induſia.

Induſia ſiue Interulæ DEI Genitricis duæ extant, altera Aquiſgrani; à Carolo Magno ibi repoſita, anno Domini circiter DCCCX. auctore Philippo Bergomate, (b) ita ſcribente: *Carolus Conſtantinopoli in Galliam rediens, Coronæ Domini noſtri* IESV *Chriſti partem, partemque Dominicæ Crucis, & clauum vnum, Sudariumque, necnon & beatiſsimæ Virginis* MARIAE *Camiſiam ſecum detulit, & ad Baſilicam Aquiſgrani tranſmiſit.* Hactenus ille. Porrò Aquiſgranenſes eam ipſam interulam eſſe antiqua fide tenent, qua Virgo Parens, pariens fuiſſet amicta. Co-

(b) *Lib. 10. ſupplem. Chron.*

Coloris eſt candidi, lino ac ſerico contexta; vlnis cum quadrante duabus oblonga; lata vlna ſingulari, additis duobus quadrantibus & ſemi.

Altera verò Carnuti Galliæ vrbe, ex Caroli Calui munere conſeruatur, quæ eam vrbem memorabili, ac teſtatiſsimo miraculo, cuius complures Auctores (c) meminerunt, à Barbarorum furore defendit anno Domini DCCCLXXVIII. vel ſecundum alios DCCCXCVII. Rem geſtam VVilhelmus Anglus Monachus Malmesburienſis, antiquiſsimus Auctor, Henrico primo, Anglorum Regi coæuus ita recitat:

Miraculum.

(c) VVilhel. Malmesbur. lib. 2. de geſtis Reg. Angl. Roger. Houd. p. priore Annal. Angl. VValſingham in hypodigm. Neuſtriæ ad an. 806. VVilhel. Gemitic. lib. de Duc. Normand. c. 15. Hannon. Chron. t. 3. l. 14. Anton. 2. p. tit. 16. Belfor. in Annal. ad Carol. Cal. Ioan. Bonif. lib. 3. hiſt. Virg. cap. 13. Vinc. Belu. lib. 24. Spec. hiſt. cap. 46.

Rollo piraticam aggreſſus, cum vbique libera ſpatiaretur inſania, apud Carnotum hæſit. Siquidem ciues nec armis nec muris confiſi, Beatæ MARIAE *ſuffragium adorant. Camiſiam quoque eiuſdem Virginis, quam Carolus Caluus cum aliis Reliquiis à Conſtantinopoli aduexerat, in modum vexilli, ſuper propugnacula, cuſtodum trita pectoribus, ventis exponunt: hoſtes viſam ridere, & in eam per inane ſagittas dirigere, non impunè.* Nam *mox oculis*

lis obnubilatis, nec retrò regredi, nec antè tendere valuere. Quod oppidani lætis animis conspicati, multa eorum cæde, quantum Fortuna aspirabat, gaudium suum satiarunt. Euasit tamen Rollo, quem fidei suæ Deus reseruabat.

Hæc eadem à Malmesburiensi Vincentius ad verbum ferè est mutuatus, atque ex Vincentio S Antoninus, & alij deinde.

Manica Augustæ.

Ceterùm Manicam Indusij Virginei anno salutis c I ɔ. C D. LXIV. Sebaldus Scheittlin Patricius Augustanus ex Turcica expeditione redux secum attulit in patriam; Fratrique suo Nicolao, ille aliquam multis post annis Miraculoso Sacramento ad D. Crucis ibidem transcripsit, dedicauit. (d)

(d) Ex Relat. domest. Monast. S. Crucis Augustæ Vind.

CAPVT IV.

DE TOGIS, SEV TVNICIS BEATAE VIRGINIS.

DVæ eiusdem DEIPARAE TOGAE seu TVNICAE celebres habentur; quas mortis accelerãtis præsaga, bonis amicisq; Viduis testamento legauit: historiam sic narrat Nicephorus. (a) *Tum Virgini discipulo, & itidem alijs ipsa Virgo præcipit, vt duas eius Tunicas vicinis viduis, quæ præter cæteras, propensiore erga eam amo-*

(a) Lib. 2. hist. cap. 21.

Tunica miraculis clara.

amore atq; pietate fuissent, donent. Ab antiquiore Metaphra: plenius eadē narrātur. (*b*) *Deipara,* inquit, *post acceptum nuncium à filio per Angelum, de suâ ex hoc mundo migratione, ad Ioannem aspiciens Virginem, cum pauca cum eo esset locuta, deinde duas, inquit, Tunicas, quas toto vitæ tempore habui, tegumentum mei corporis, eas dari iubeo hisce duabus mulieribus.* Quarum saltem altera insequentibus deinde temporibus, per annos ferè 400. frequentissimis miraculis apud Iudæos inclaruit; donec Leone I. Imp. (abijt è viuis anno CD.LXXIV.) *Galbius & Candidus Fratres* (scribit Nicephorus b.) *Patriciâ dignitate præditi, Hierosolyma profecti, omnia ibi loca perlustrarunt & exosculati sunt; atque inde in Galilææ partes venerunt, & thesaurum hunc, apud Iudæam quandam asseruatum repererunt, consilium eius auferendi ceperunt. Et Hierosolymorum vrbe peragrata, & sancto quoque loco salutato, ex Palæstinâ discessuri, arcam eadem longitudine, qua illa erat, in quâ diuina* DEI *Matris Vestis reposita erat, fieri curarunt: eamque vacuam, solito ornamento coopertam, per fraudem in loco suo deposuerunt; alteram autem illam cum* Sacrosancta Veste *receperunt, & cum eâ quam*

(*b*) *Orat. de Vita & obitu Deip. 15. Aug.*

(*c*) *Lib. 15. cap. 24. Constantinopolim translata.*

*celerrimè Constantinopolim recurrerunt, in suburbanâ regione, cui Blachernæ nomen erat, occultare diuinum thesaurum volētes. Quandoquidem verò rem tentare, quæ fieri nequiret, visi sunt; ingratis etiam eam ad Imperatorem (*LEONEM*) retulere. Ille incredibili elatus voluptate, rotundo, in eo loco vbi asseruabatur, constructo templo, cum magna veneratione, sacram arcam in eo collocauit: vbi nunc quoque* (ait pro suâ ætate Niceph or.) *veneranda illa vestis integra seruatur, veluti inuictum perpetuumq́ue vrbis præsidium, quæ varios repellit morbos, & miraculis, quæ in eâ fiunt, naturam & vim temporis superat.* Hactenus Nicephorus, qui suo etiam tẽpore integram eam in BLACHERNIS asseruatam asserit.

Particula vestium variis locis.

Verum enimuero temporis collapsu, pluria deinde loca eius aliquid participasse, quum scriptores tum traditiones fecere, vt credamus.

Etenim vestis eiusdem B. Virginis pars aliqua habetur Romæ, tum in sanctæ MARIAE MAIORIS, tum in sancti IOANNIS Lateranensis, tum in B. LAVRENTII extra muros, teste Onuphrio, & M. Attilio Serrano.(d)

(d) De 7. Vrb. Eccles.

Foro Liuij in AEmiliâ in Collegio Societatis, in simulacro Deiparæ ex Germania

niâ allato bona pars vestis Deiparæ asseruatur. Marinæus Siculus (e) tantundem tribuit OVETO Hispaniarum oppido. (e) Lib. 5. hist. Hisp.

Gabriel Barrius (f) partem eius etiam impertit CONSENTIAE & BALNEARIAE in Calabriâ; LOCRO iuxta Zephyrium promontorium, (Diuæ vbi imago, quæ magnâ pietate ab oppidanis & accolis frequentatur) & BRIATICO ab Oenotrijs condito in Italiâ oppidis. (f) Lib. 2. de antiq. & situ Calabr. & lib. 3. eiusd.

Godscalcus in Præceptorio (g) AQVISGRANVM parte etiam illius beari asserit. Petrus Bonfonius in Fastis PARISIENSIBVS (h) templum Cathedrale ait tantundem posside. (g) In explic. primi præcepti de ador. Sanct. (h) Lib. 2. c. 6.

Fertur etiam huius aliquid *Tungris Aduaticorum*; *Duaci* in D. Amati; & apud *Eligianos* seruari & coli; (i) multisque alijs non dubito, locis, præsertim Augustæ nostræ in diuersis Ecclesijs. (i) Lib. 5. Eccles. S. Amati apud Ferreol. lib. 5. c. 24.

CAP. V.

DE ZONA DEIPARAE.

SAcrosanctam DEIPARAE Zonam Constantinopoli, Arcadio Imperante, integram repositam, in Chalcoprateio Bizantiorum à Pulcheriâ exstructa; à Germano Antistite consecratâ testatur Nicephorus: (a) *Pulcheria*, inquit, *tria quoque* DEI *matri ex ipsis fundamentis* tem- B. V. Zona Constantinopoli primùm. (a) Lib. 14. c. 2 & lib. 15. c. 14

templa erexit. Quorum vnum est in Chalcoprateio, seu fabrorum foro, sacri tumuli nomen habens: in hoc veluti thesaurum, DEI *Genitricis deposuit Zonam. Hoc in templo, vt quarto quoque hebdomadæ die priuilegium & supplicatio ad lucernas, & lampadas fieret, constituit, quam ea ipsa pedes frequentare solita erat.*

Summis laudibus celebrata à SS. PP.

Eandem DEIPARAE ZONAM Patres miris laudibus celebrarunt, præsertim præfatus Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, hisce eam verbis exornat: (b) *Zona hæc corpus illud constringebat, in cuius vtero* DEVS *celabatur; Zona, quæ* DEI *Arcam, id est, Deiparam pulchrè & honestè exornabat, quæ sæpè ex Virginei lactis guttis humectabatur, quæ cùm diu Deiparæ corpus, veluti vnguentum diuinum inuoluerit, odorem ex eo curationum in æternum seruat.* Et mox: O *zona, quæ ijs, qui ad te confugiunt, das lumborum mortificationem ad vitia, animi autem fortitudinem ad virtutum operationem.* O *zona, quæ nostræ naturæ imbecillitatem astringis & roboras, & inimicos nostros visibiles impedis;* O *zona veneranda, quæ tuam ciuitatem circumdas, & contines, & cõseruas à Barbaricâ illæsam excursione.* O *zona*

(b) Apud Sur. to. 4.

zona pretiosa, quæ DEVM *verbum, dum esset in vtero inuoluisti, & curationum benedictionem affatim illinc hausisti. O zona, quæ à corruptione aliena* DEI *Matris corpus appropinquasti, & illinc induisti incorruptionem.*

O veneranda zona accinge lumbos nostros virtute iustitiæ, & mansuetudine, fac nos hæredes æternæ ac beatæ vitæ, & hinc nostram vitam interitui obnoxiam conserua, ne eam lædant inimici. Habeamus te vires & auxilium, murum & propugnaculum, portum & salutare refugium. Quamobrem, ô DEIPARA, *ad templum tuum studiosè occurrimus, in quo cum stamus in cœlo ipso stare nos credimus, in quo te celebrantes, in Angelorum choro versari nos existimamus. Ecquis ex fidelibus venerandam tuam* ZONAM *intuens, non statim animi iucunditate repletur?*

Eandem celebrauit Euthymius; (c) & in multis: *Laudatur*, dixit, *ZONA, quæ annos plus nongentos, illæsa atque integra perseuerat; cuius nequaquam infuscatus est color, quæ vincit splendore niuem; talémque se viuentibus exhibet, qualis ex manu prodiuit artificis. Ea se cœli Regina reuera, vt credimus, cinxit; Idolorum contriuit aras; gentium delubra vastauit, & humani cruoris effusionem flumenq; coërcuit.* Por-

(c) *Apud Metaphrastem.*

Romam delata.

Porrò ZONAM ipſam ſeu ab vrbe Cōſtantinopolitanâ per Turcas occupatâ, ſeu antequam in extimam iſtam direptionem iret, Romani ſe nunc poſsidere gloriantur, eamque Onuphrio & M. Attilio Serrano ſcriptoribus, (d) in Beatæ MARIAE Maioris aſſeruari & coli profitentur.

(d) Lib. 7. de Vrb. Eccleſ.

Particula diuerſis locis.

Illius partē Brugenſes anno M.CC.XXX. ab VValtero Conſtantinopolitano dono ſibi datam, ſolenni ea de re diplomate aſſeuerant. Eandē ZONAM Aquiſgranenſes ſibi vendicant: Attrebatenſes habere ſe dicunt: Tungrenſes Eburonum faciunt ſuam: Andecenſes Cœnobitæ oſtentant.

Quam ſanctiſsimam contentionem non, niſi, vel locorum monumentis luſtratis compoſueris; vel dixeris plures VIRGINIS ZONAS fuiſſe, ſeu veras; ſeu quæ à verâ ſanctitatis aliquid acceperint: aut vnicam deniq; in varia fragmēta diſſectam. De eâdem ZONA ita ſcribit R. P. Matthæus Raderus in ſuo viridario Sanctorum ex Menæis Græcorum collecto.

Arcadius Theodoſij Magni filius venerandam ſanctiſſimæ DEI *Matris Zonam Hieroſolymis, quæ ad eum vſque diem ibi cum precioſa veſte à fæmina quadam Virgine ſeruata erat, Conſtantinopolim delatam in ſplendido ſcri-*

ſcrinio, quod ſanctam appellauit arculam repoſuit. Annis dein denis ſupra quadringentos elapſis, Leo Imperator ſanctam hanc hierothecam propter coniugem ſuam Zoën, quæ diuinitùs didicerat futurum, vt ſi ſacra Zona ſibi applicaretur, ſanitatem recuperaret, ab impuro dæmone vehementer agitatam aperuit. Repertum ergò ſacrum cingulum, perindè ac ſi modò confectum eſſet, adeò radiabat, ſignatum aureâ bullâ, adiuncto codicillo, qui ſingulatim annum, indictionem & diem exprimebat, quo ſanctum hoc cingulum Conſtantinopolim eſſet deportatum, manibuſq; ipſius Imperatoris in Lipſanotheca obſignatum, quod Leo Imperator exoſculatus, per Patriarchæ tum præſidentis manus ſuper Imperatricem extendit, ſanitatemq; reſtituit. Omnes ergò Chriſto ſalutis auctori gloriam gratulati, immaculatæ eius Matri debitas gratiarum laudes cecinére, Zonamq; in eandem, in qua prius ſeruabatur, arculam repoſuêre.

Idem in annotationibus ibidem. *Et verò S. M. Ottho Cardinalis Trukſeßius, Pontifex Auguſtanus, Academiæ Dilinganæ conditor, hierothecam nobilem Græcis literis inſcriptam, Roma Auguſtam detulit, & in æde ſumma Virginis collocauit, in quâ præter alio-*

rum

rum Sanctorum pignora, ipse legi de hac Zona partem custodiri: ἐκ τῆς ζώνης τῆς θεοτόκου, sicut & ἐκ τῶν Τιμίων σπαργάνων ex sacris fasciis Christi. Etenim & Germani & Euthymii encomia FASCIAS *&* ZONAM *simul laudant. Præter illam tamen & aliam partem multo maiorem in eodem templo sum veneratus.*

CAPVT VI.

DE VITA, VELIS, PECTIONE, SOCCO, CHIROTHECA, Annulis, & Perulâ eiusdem.

B. V. Capitis tegmina vbi.

VEnerandum venerandi capitis *tegmen* añis ab hinc quadringentis, id est Anno Dñi MCCXXXII. Moyses Pontifex Romonerensis ex terra sancta (a) Brugensibus transmisit. Supersunt etiamnum *Vela*, seu *Pepla*, verecundissimo Virginis MARIAE vultui obnubendo seruientia: quibus aliquot loca, iis seu integris seu partitis celebria, gloriantur, vtpote, *Roma*, (b) in D. Crucis Hierosolymitanæ; *Melita*, Insula: *Terranoua*, (c) Calabriæ oppidũ. *Treuiri*, inclytum Germaniæ oppidum (d) ex B. Helenæ dono. *Assisium*, in B. Francisci, duplice quotañis ostentatione honoratum, *Tungri*,

(a) Ex hist. Brug. M.S.

(b) Onuph. Attil. loc. cit.

(c) Gabr. Bar. lib. 2 de Antiq. Calabr.

(d) Middendorp. lib. 5. acad. in Treuir.

gri, ſubtilis texturæ, lana ac ſerico mixtum; *Attrebatum*; *Duacum*; *Auguſta* Vindelicorum in diuerſis Eccleſijs; alia orbis Terrarum celeberrima loca hoc munere ſe beata putant.

Pectinem (e) verò Treuirenſes dono accepere ab Helena magna Conſtantini Magni Matre: & à S. Agritio quondam Archiepiſcopo B. Ioannis Euangeliſtæ templo, circa annum Dñi CCCXXXIII. à ſe conſtructo, incluſum ſumma religione hodieque aſſeruant. *Pecten.* (e) *Idem ibid.*

Porrò *Soccus*, ſeu, vt alij vocant, *Subtalare*, Sueſsione Galliarum vrbe, à quinq; amplius ſæculis aſſeruatur. *Soccus.*

De quo Hugo Farſitus Canonicus Laudunenſis (f) multis agit, ac præſertim; cũ ita ſcribit: *Intra quindecim dies, nominatim adnotati ſunt centum ac tres, ab hoc igne* (ſacro) *reſtincti, & tres puellæ diſtortis membris, quæ aduenerant, ad ſanitatis gratiam reſtitutæ.* Eius porrò fama, & ex ea cultus hodieque perſeuerant; febricitantibus non infrequente ope explorata. (f) *Lib. Mirac. B. Virg. Sueſſion. c. 3.*

Chirotheca verò Audomaropoli eſt in B Bertini Monaſterio, è tranſmarinis tractibus, (g) opera Simonis quadrageſimi quinti ibi Abbatis, cum eiuſdem Virginis *Capillis* eò tranſlata. *Chirotheca.* (g) *Ferreol. l. 5. c. 32. ex Chron. Bertin. MS.*

Tres

(h) In hist. S. Ios. cap. 2.

Annuli.

(i) Molan. in Natal. SS. Belgij 16. Oct.

(k) Genebr. lib. 4. Chron. Ferreol. lib. 5. cap. 31.

Perula.

(l) Lipsanotheca Mariana Herbipol. Sodal. xenij loco data.

Tres VIRGINIS *Annulos* inuenimus (h) Perusij in Templo vrbis summo vnum: alterum in cœnobio (i) Aquicinctino, qui puerperij molestias acrius patienti, præsens, eam statim liberare solet, vti compluribus exemplis probatum est: tertium apud Semimurenses in Burgundia: (k) qui ille ipse esse dicitur, quem DEIPARA SPONSA à Iosepho ARRHABONEM acceperit.

Prædicatur & PERVLA viatoria eiusdem sacratissimæ VIRGINIS in qua inclusa fuerit *Mantica*, quæ illa ipsa fuisse creditur, qua MATER ADMIRABILIS vsa sit, cum è Nazareth in Bethlehem, aut Solymam abiret, aut cum fugam in AEgyptum DEI nutu capesseret. Proinde non immeritò cœnobium Cluniacense tanta veneratione istam habet, vt proprium Festum instituerit; ab inuentione MANTICAE DEIPARAE nuncupatum.

CAPVT XVI.

DE LACTE, ET CAPILLIS, ALIISQVE BEATISSIMÆ DEIPARAE *Reliquiis.*

Lac B. V.

DE LACTEO illo vberum niue candidiorum LIQVORE, multoties CHRISTO propinato, aliquid diuersis in locis asseruari memoriæ proditum

tum accepimus, vt *Aßisij* in B. Damiani, Ordinis S. Claræ cœnobio; *Monte Gerardi* in Flandris; *Duaci* in D. Amati; *Tungris Eburonum*; *Toleti* & *Oueti* in Hispanijs, (a) *Parisijs* etiam cùm in Principe templo, tum in Regio sacello, (b) & *Augustæ* nostræ aliquibus in templis. Traditione à maioribus acceptum non incolæ solum, sed & exteri, & Christiani Latini & Græci, & impij Sarraceni, religiose venerantur, & multi, quibus videre licuit, mandauere libris: dum in parandis necessarijs Bethleemi Iosephus, in AEgyptum fugiens secessurus moraretur, DEIPARAM in spelunca latuisse inter Meridiem & Austrum, ad iactum lapidum duorum à Bethleemo semotam: dumque DEO infanti mammillam porrigeret, lactis guttis in durum speluncæ lapidem effusis ita emollitum, ac candidum effectum, vt candidißimæ, ac tenuißimæ terræ in puluerem tenuissimum conuersæ, instar sit, ex qua lota panes paruuli conficiuntur, quibus ad morborum diuersorum sanitatem, præsertim lactis fæminarum contractionis, omnes vtantur, *Lac Dominæ nostræ*, propterea nominantur. Lege P. Christophorum à Castro *in Hist. Deip. c. 10. n. 1.*

(a) *Marin. Sic. lib 5 de reb. Hisp.*
(b) *Bonf. lib. 2. Fast. Paris. c. 6. & 10.*

In vita quoq; S. *Mauri*, à B. *Fausto* eius condiscipulo scripta refertur, S. P. N. *Benedictum* Abbatem dilectissimo suo discipulo S. Mauro in Gallias discedenti, in pignus paterni sui amoris ei dedisse Reliquias alias S. DEI genitricis, intra capsulam eburneam inclusas.

(c) *De glor. Mart. c.* 19. *Miraculum Reliq. B. V.*

Item sanctus Gregorius Turonensis(c) earundem Reliquiarum insigne miraculum describit: *Quidam Ioannes*, inquit, *natione Gallus, à leprâ in Iordane mundatus, Reliquias beatissimæ* MARIAE *ab Hierosolymis accipiens, in patriam reuertebatur: cumq; in Italia in latrones incidisset, capsa in qua ille beata gestabat pignora, ab ijsdem latronibus effringitur, nihilque in ea pecuniæ reperitur: ideò latrones extracta pignora in ignem proijciunt, cæsoq; homine, discesserunt. Tunc ille semiuiuus exsurgens, vt vel cineres exustorum colligeret pignorum, inuenit super carbones accensos illæsas iacere Reliquias, ipsumq; linteum, quo inuolutæ erant, ita admiratur integrum, vt non putaretur prunis iniectum, sed aquis absconditum, collegitque cuncta cum gaudio, & viam, quam pergebat ingressus, ad Gallias peruenit incolumis.*

(d) *lib. cit. cap.* 10. *Item aliud.*

Idem(d) aliud earundem DEIPARAE Reliquiarum miraculum narrat, quod ipse-

ipsemet expertus est: *Beatæ Virginis*, inquit, *Reliquias cum sanctorum Apostolorum, vel beati Martini quadam vice super me in cruce aurea positas, exhibebam, cùmque per viam graderemur, conspicio haud procul à via hospitiolum cuiusdam pauperis incendio concremari: Erat autem folijs, quæ ignibus maximà præstant fomenta, contectum: currebat miser cum liberis & vxore, aquam deportans, sed flammæ non mitigabantur. Tunc extractam à pectore crucem, leuo contra ignem, mox in aspectu sanctarum* RELIQVIARVM *ita cunctus ignis, ac si non fuisset accensus,* DEI *omnipotentis virtute obstupuit.*

Quid plura? ex sacratissimis Deiparæ capillis, quos ex Epiphanio Presbytero Constantinopolitano Nicephorus (e) flauos fuisse affirmat, pars aliqua multis reperitur in locis: ROMAE præsertim, tum in sancta Maria Maiore, tum in sancti Ioanne Lateranensi, tùm etiam in subterraneo sanctæ Helenæ sacello, quod est in templo sanctæ Crucis in Hierusalem, auctore Onuphrio, & M. Attilio (f) cùm eorum Reliquias recensent. Eum locum annuè, semel tantùm, solisque fæminis Martij xx. subire, & in pignore quod eis ostenditur, DEIPARAM venerari concessum est. Eorundem aliquid habet O-

(e) Lib. 2. c. 23. hist.

Capilli Vbi?

(f) Lib. de 7. Vrb. Eccles.

(g) *Marin. Sic. lib. 5. de reb. Hisp.*
(h) *Bar. de ant. Calab.*
(i) *Relat.*
(k) *l. antiq. MS. Eccles. S. Amati.*
(l) *Monum. Eccles. MS.*
(m) *In hist. Croyland.*

VETVM; (g) Participant & ALTIMONTVM in Calabria; (h) AQVISGRANVM in Germania, (i) mons Gerardi; Duacum; (k) Audomaropolis; Mareolense asceta-rium (l) Atrebato mille passibus abiun-ctum; & quondam amplissimum B. Virg. in Croylandia insula Monasteriū, ex dono Henrici Cæsaris; quos ipse ab Hugone Gallorum Rege acceperat: De quibus sic Ingulphi Abbatis historia; (m) *Idem Imperator contulit de crinibus sanctæ Dei Genitricis* MARIAE, *quos Rex Franciæ ei, inclusos in aurea pixide detulit.* Augusta Vindelicorum item in maxima æde eiusdem capillos asseruat, & deueneratur, vti eiusdem monimenta affirmant.

CAPVT VIII.

DE FVSO, GLOMO FILI, STOLA, ET EPISTOLIS beatæ Virginis.

B. V. Fusum.

DIuæ FVSVM, quo ipsa nendo, nō Arachnes, aut Mineruæ figmenta, sed crinium suorum splendorem atque ornamentum æquiparabat (ἄτρακτον scripsit Nicephorus; Interpres PENSVM, fortasse propter affinitatem, quod pensum in fila deductū, fuso agglomeretur) Hierosolymis Constantinopo-

lim

lim delatum, sancta Pulcheria in templo τῶν ὁδηγῶν, quod ipsa fabricarat, cum aliis sacris Reliquiis reclusit. Ecce verba Nicephori: (a) *Templum item τῶν ὁδηγῶν, hoc est, viæ ducum cognomine, clarum est; in quo diuinam illius imaginem, quam Lucas Apostolus, in tabulâ depictam reliquit; sacrumque* PENSVM, *& Seruatoris ipsius Fascias, perinde atque Thesaurum, quem ad Theodosium Eudoxia Augusta, quum Hierosolyma profecta est, misit, seruandas curauit.*

id est, Via Ducum.

(a) Lib. 14. c. 2.

At GLOMVS FILI à DEIPARA elaboratus visitur Herbipoli in Franconia, in Cœnobio D. Stephani. (b)

Glomus fili.

Sed & Belgarum non vana traditio est, in oppido Huensi (c) in Aduaticis asseruari consimilem.

(b) Vide Catal. Reliq. Herbip. n. 24.

(c) Spinellus & Lipsanotheca Herbipolens.

Fertur etiam eadem Virgo sacratissima STOLAM D. Ioanni Euangelistæ, suo in monte Caluariæ suscepto filio & custodi, manibus sacris textam elaborâsse, & dedicâsse: cuius nonnihil in sacra DEIPARAE Basilicâ Augustæ, (d) tum etiam aliis locis honorificè asseruetur.

(d) Relat. Eccles. Cathed. August.

His adde, quas scripsisse DEIPARA dicitur Epistolas. Vnam quidem scripsit ad sanctum Ignatium; quam licet Baronius (e) minimè recipiat, eam tamen cognoscit sanctus Bernardus, (f) Dionysius

(e) Tom. I. ad an. Christi 48.

(f) Ser. 7. in Psal. 90.

(g) In Comment super Dionys. de diu. nom.
(h) Lib. 2. Bibliotheca.
(i) Lib. 5. c. 1. Marial.
(k) Habetur inter Ignatij Epist. Paris. an. 1569. excusas.

sius Carthusianus, (g) Sixtus Senensis, (h) Petrus Canisius, (i) & alij apud Canisium, qui etiam testatur Florentinos & Messanenses gloriari, se à DEIPARA epistolas accepisse. Ea verò ad S. Ignatium inscripta, (k) sic habet:

IGNATIO DILECTO DISCIPVLO,
HVMILIS ANCILLA CHRISTI
IESV.

De IESV quæ à Ioanne audisti & didicisti, vera sunt; illa credas, illis inhæreas & Christianitatis votum firmiter teneas, & mores & vitam voto conformes. Veniam autem cum Ioanne, te & qui tecum sunt visura: sta & in fide viriliter age; ne te commoueat persecutionis austeritas; sed valeat & exultet Spiritus tuus in Deo salutari tuo, Amen.

raria anno 1495. 25. Oct. habita.

Quæ autem ad Florentinos inscribitur, eam Hieronymus Ferrariensis (l) pro concione explicare non dubitauit. Sic autem habet:

Florentia DEO & Domino IESV Christo Filio meo & mihi dilecta, tene fidem, insta orationibus, roborare patientia; his enim sempiternam salutem apud DEVM, & apud homines gloriam consequeris.

Quæ verò ad Messanenses scripta prædicatur, teste citato Canisio, reuerenter in eius vrbis scrinijs asseruatur.

CA-

CAPVT IX.

DE RELIQVIIS VIRGINEVM FVNVS COMItantibus.

SVDARIVM ac FASCIAS Sepulchrales, quibus sacratissimæ Virginis defunctæ corpus, licet breui tẽpore, inuolutum fuit, Hierosolymis Cõstantinopolim Iuuenalis Episcopus Hierosolymitanus vna cum eius sepulchro transmisit, Martiano Cæsare adhuc superstite. Quibus Pulcheria sanctissima Heroina templum condidit, inque illo ea recondidit. Quorum singulorum duplice in loco testimonium fert Nicephorus. (a)

Sudarium, & Fasciæ.

(a) Lib. 14. c. 2. & lib. 15. c. 14.

SEPVLCHRVM DEIPARAE, si Nicephorum loco citato consulamus, Constantinopolim translatum, & in templo DEIPARAE, Blachernis à Pulcheria Augusta repositum est. Quod tamen Baronius (b) meritò demiratur, cum Brochardus (c) in valle Iosaphat illud esse affirmet, & qui nostris temporibus Hierosolymam adierunt, in Petrâ excisum esse testentur, atque instar Sepulchri Dominici natiuo lapidi cohærens, loco immobiliter inhærere.

Sepulchrum B. V.

(b) Tom. 1. Annal. an. 48.

(c) In descript. ter. sanctæ p. 1. c. 70. §. 47.

Accedit & venerabilis noster S. Beda, qui CC. propemodum annis post Pul-

cheriam floruit, & in libro de locis sanctis monet, sepulchrum DEI Genitricis suis temporibus in dicto loco vacuum cerni.

Nisi fortè dicamus, partem aliquam LAPIDIS eius tumuli Hierosolyma Constantinopolim transmissam; Nam Romæ etiam in templo sancti Laurentij extra muros de LAPIDE SEPVLCHRI DEI Genitricis inter Reliquias asseruari testatur Onuphrius loco citato. Item Augustæ Vindelicorum in summa AEde. *Feruntur etiam apud nos seruari*, inquit Ferreolus, *(d) tam abs Eligianis Ascetis, quam Duacensibus in D. Amati Canonicis.*

(d) *Lib. 5. c. 39.*

Feretrum.

Porrò FERETRVM Lauduni Galliarum oppido à quingentis ampliùs annis fuisse, testatur Hugo Farsitus, (e) cuius supra sexaginta prodit miracula, circa annum M. C. XIII. fieri cœpta; dum per varias regiones illud circumferretur, ad recipiendas fidelium eleemosynas, pro Templi Laudunensis reparatione; quod vlciscente patrata in illo scelera Numine, miserandum in modum ignibus conflagrarat. Sed & memoranda de isto Feretro affert Vincentius Beluacensis in Speculo (f) Historiali; illum, si [illegible] et, consule.

(e) *Lib. MS. Mirac. Fereeri B. V. Lauduni.*

(f) *Lib. 27. p. 4. c. 12.*

CA-

CAPVT X.

ICONES B. MARIAE VIRGINIS.

DEIPARAE Icones, in ordine Reliquiarum, etiam ſibi locum iure ſuo vendicant; quibus fruuntur, Roma, Venetiæ, Hiſpalis, Ceſtocouia in Polonia, Cameracum, aliaq́ varia loca, B. Lucæ aut prototypa, aut ectypa. *Imagines B. V.*

Cæterùm ſacratiſsimam DEIPARAM Lucæ Euangeliſtæ manu affabrè ad viuũ expreſſam fuiſſe claſsis eſt auctorum qui teſtentur. In quibus Theodorus Lector, (a) qui ante mille annos floruit; Nicephorus; (b) Simeon Metaphraſtes; (c) Carolus Sigonius; (d) Theodoricus de Apoldia; (e) Vincentius Beluacenſis; (f) Caniſius; (g) Bellarminus; (h) &c. Nicephorus hiſce verbis rem pangit: *Pulcheria Auguſta templum in vrbe Cõſtantinõpolitana, erexit ὁδηγῶν viæ Ducum appellatum, vbi Antiochia miſſam Verbi Matris Imaginẽ dedicauit; quam D. Apoſtolus Lucas ſuis ipſe manibus depinxit, illâ adhuc viuẽte & tabulam ipſam vidente, gratiamque adeò illi formæ ſuæ immittente. Hæc Imago primum, in loco, qui Tribunal dicitur, fuit; vbi ea, quæ nunc quoq; fiunt Miracula peracta ſunt.*

(a) *Lib.*1. *Collect.*
(b) *Lib.*14. *c.*2. & *lib.*15. *c.*14.
(c) *In Vita S. Lucæ.*
(d) *Lib.*1 *de Regno Italiæ.*
(e) *Lib.*2. *de Vita S. Dom. cap.*5.
(f) *Lib.*25. *cap.* 147.
(g) *Lib.*5. *c.*22.
(h) *Lib.* 2. *de Imaginib. cap.* 10.

Porrò DEIPARAE Imaginem à S. Luca depictam esse non est à Nicephoro aut Simeone Metaphraste natum, sed ante mille annos hanc Imaginem à D. Luca effectam esse, tradit Theodorus Lector, dum ait in initio collectaneorum: *Pulcheriæ Eudociæ Imaginem Matris Christi, quam Lucas Apostolus pinxerat, Hierosolymis misit.*

Testatur præterea Canisius, non recenti aut dubia, sed vetere & constante Ecclesiæ traditione constare, B. Lucam non Matris solum, sed & Filij Imagines Antiochenæ Ecclesiæ reliquisse. Vide apud eundem plura, & quæ ad eius præsentiam intuitumue contigere Miracula, partim ex Nicephoro, (i) partim ex Niceta Choniate (k) collecta. Vnum alterumue huc adscribam.

(i) *Loc. cit.*
(k) *In Annal.*

Cum anno DCXXI. Heraclius Imperator exercitum moueret in Persas, qui hoc ipso anno Chalcedonem vsque processerant, vniuersum quasi Imperium hausturi; adeò DEIPARAE *Imago*, quam Imperator à se abesse nunquam sinebat, hostium conatibus obstitit, vt seu leuioribus, seu iustis prælijs manus conferrent, inferiores semper vel cederent vel caderent (l)

(l) *Baron. in Annal.*

Aliud. Anno circiter DCXXV. Sarraceni

ceni (m) arctissimâ obsidione vrbem circumuallarant; neq; humanum dissoluendis ijs videbatur satis esse auxilium. Corripit ciues pauor vt fit; omneq; refugium in solâ Virgine collocatur. Ad eius itaq; ædes communi suffragio & voto itur: *Imago*, D. Lucæ operâ expressa, tollitur; hebdomadatim feriâ quâq; tertiâ publicè circumfertur. Eugè pientissimam Matrem! non abstinent solum à proposito Sarraceni, sed miserrimè pereunt. Cùm pestilentia sæuissima Romæ grassaretur, anno quingentesimo nonagesimo primo, Gregorius Magnus religiosam in die Resurrectionis supplicationem instituit, atq; solenni in pompâ sanctam DEI genitricis *Imaginem* extulit. (n) Hæc ex ore eius Lucæ Euangelistæ manu affabre ad viuum expressa iam tum in æde D. MARIAE ad Præsepe in Exquilijs sita eximiâ populi religione conseruabatur. Factum est autem vt Imaginem ipsam quacunq; ferretur, tetrâ pestilentis cæli grauitate cedente optata salubritas sequeretur. Qua de re gratulantibus omnibus, ecce Angelus sanctam Virginem his vocibus de cælo alloquens est auditus:

REGINA CAELI LAETARE, ALLELVIA.
QVIA QVEM MERVISTI PORTARE, ALLELVIA.

(m) Idem & Vincent. l. 23. spec. c. 147. Canis. lib. 5. Marial. c. 23. & 27.

Historia & miraculum imaginis B. V. M.

(n) Carol. Sigon. de regno Ital. lib. 1.

RESVRREXIT SICVT DIXIT, ALLELVIA. Quam vbi Gregorius auribus orationē excepit, statim diuino instructus spiritu in hunc modum expleuit.

ORA PRO NOBIS DEVM, ALLELVIA.

Exinde Antiphona solennis Ecclesiæ Paschalis argumento lætitiæ mansit. Neque ita multo post Angelus super Hadriani molem astans, ac strictum mucronem vagina recondens conspectus est.

Habet Pontificale, Gregorium III. in Imagine S. DEI Genitricis diadema aureum & collare aureum de gemmis fecisse: & in oratorio sancto, quod ad Præsepe dicitur, fecisse Imaginem auream DEI Genitricis, amplectentem Saluatorem Dominum nostrum.

(o) Tom. 3. Conc.

(p) Act. 5. Syn. 7.

Scribit Germanus Episcopus (o) Constantinopolis, Imaginem Virginis Matris intemeratæ in Zosopoli Pisidiæ ciuitate, ex picta manu sua vnguentorum scaturiginem effundere. Narrat Theodorus (p) Æliotes, incluso cuidam dixisse dæmonem, Imaginem istam, si noles me tecum luctari, caue amplius adores. Habuit autem Imago figuram Dominæ nostræ DEIPARAE Virginis MARIAE, gestantis IESVM CHRISTVM. Gregorius (II. vel III.) Germano, Sancta omnium Dominæ castæ DEI Matris Imago, cuius faciem diuites populi adorant, sine dubio magna re-

tri-

tribuit. De pluribus miraculosis B. V. Imaginibus leges Ferreolum Locrium.

Quia verò S.Lucæ in hoc capite facta est mentio, non im̃erito eiusdem Euangelium inter Marianas Reliquias numerabimus: si quidem Eusebio Emisseno, (q) D. Bernardo, (r) Ruperto Tuitiensi, (s) Antonino, (t) alijs fidem habemus. Is etenim, quia DEIPARAE charus admodum ac familiaris fuit, ab ea didicit, quæ circa infantiam Christi contigerunt. Vnde factum, teste Canisio, vt Sanctissimus iste Euangelistes à nonnullis B. VIRGINIS NOTARIVS, ab alijs eiusdem CANCELLARIVS indigetaretur.

Euangelium S.Lucæ B. V. ascribendũ.

(q) In Euang. de festo Assumpt.
(r) Hom. super Missus.
(s) In cap. 2. Matth.
(t) In 4. p. Sum. tit. 15.

CAPVT XI.

DE COLVMNA.

COlumna verò Iaspidea, supra quam B. Iacobus sacram Virginem stantem in Hispanijs vidit, & alloquentem se audijt; nequaquam hîc prætereunda.

Quum namq; B. Iacobo Apostolo Sanctissima Mater legationem ad Iberos signasset, quo gentem istam, Idolatriæ cæno crassè indormientem, ad Christianæ fidei splendorem, quâ posset industriâ prouocaret, & audiẽs ille, desudatis summis laboribus, nouem modò animas, nec plures

plures, lucro adiecisset; adeoq́ multa cũ socijs, quos paucos secum habebant, ad Iberi fl. ripas quereretur: ecce subitò ex Palestinâ ad Hispanos Angelico famulitio Virgo transfertur, & Iacobum angore constrictum cernens, affatur, doloremq́ ponere iubet: quod suis sudoribus obtinere non potuit, per discipulos assequuturum se, pollicetur; *Hoc suæ scilicet curæ despondisse Regnum*. Scio aliquos esse, eosq́ viros magnos qui non integram huic fidem historiæ tribuant: verùm magni sunt & viri & multi, qui rem hanc, vt verè gestam accipiant; Beuterus, (a) Vasæus (b) Canisius, (c) Bozius, (d) Franciscus Arias, (e) Alfonsus Villegas, (f) Sigonius, (g) alij, qui eodem omnes stylo posuêre. Dicta porro columna sacello reclusa effecit, vt is locus *Nostra domina de Columna*, exindè audierit, audiatq́ Castellana voce, *Nuestra Sennora del Pilar*.

(a) *Lib.* 1. *c.* 2. & 3.
(b) *In Chron.*
(c) *Lib.* 5. *c.* 23.
(d) *Lib.* 9. *c.* 9.
(e) *De imit. Virg. c.* 20.
(f) *In Hor. Sanct.*
(g) *De Reg. Ital.*

CAPVT XII.

DE FONTE SABBATICO, ET LAPIDIBVS QVIBVSDAM.

FONS quidam in Palæstinâ extitit, Iosepho teste, (a) qui Sabbathis duntaxat affluens, diebus hebdomadæ reliquis exarescebat; quâ de causâ Sabbathicus est appellatus, quem Titus ipse

(a) *Lib.* 7. *c.* 24. *de bello Iud.*

ipſe conſpexit. Eo prodigio illud ſignificatum volunt Eruditi (b): Eâ ipſâ die Sabbathinas VIRGINI ferias ab Eccleſiâ dicandas: eoq; miraculo demonſtrari, beneficia à Chriſto per DEIPARAM, cui ſabbatum eſt dicatum, peculiari quadam ratione exſpectanda eſſe, cum DEIPARA in fonte illo paradiſi, qui vniuerſam terram irrigat, præfigurata intelligatur, & à D. Ioanne Damaſceno, (c) *Fons perennis curationum vocetur.*

Fons.

(b) *Ferreo. Lib. 5. c. 34. & Bonifac. lib. 1. c. 14. hiſt. Virg.*

(c) *Orat. 2. de Dormit.*

Lapis etiam in ipſo Templi Toletani aditu monſtratur, (d) in quo B. Virgo, S. Illephonſo Archiepiſcopo apparens, veſtigio conſtitit. Hodie ad memoriam ferreis clatris eſt incluſus.

Lapis.

(d) *Marian. lib. 6. c. 11 de Reb. Hiſp.*

Alios autem & ſine nomine lapillos obſeruauit Bellonius, dum in Bethlehemiticum agrum pergeret, rotundos illos, ciceris magnitudine & formâ per agrum quendam diſperſos. *Vulgus* (ſcribit ille) (e) *perſuaſionem hanc habet; Diuam Virginem, dum hac iter faceret, quendam conſpexiſſe, qui cicer ſereret; eumq́; interrogatum quidnam ageret; reſpondiſſe, lapillos ſero: & ab eo tempore ſolum petroſum remanſiſſe, tanquam cicer in lapillos fuiſſet traſmutatum.* Sed fabulis proximum id videtur.

Lapilli quidã.

(e) *Libro. 2. obſeruat. cap. 87.*

Veritati id proximius, quod Petrus Barillius (f) tradit de *Lapillo Foyenſi*: qui repe-

Lapilli Foyenſes.

(f) *Narrat. mirac.*

reperitur in agello propè *Villam Foyenſem*, hiſce vnionibus immane quantum locuplete. Sunt pellucidi omnes; neq; vnius tantum coloris. Namq; hic amethyſtino gaudet atq; Ianthino: ille herbeo, praſinoq;. Subnigro alius; & Leucophæo: alius Thalaſsino, Cyaneoq;: aqueo plerię & vitreo: plurimi flammeo, rutilo, purpureo, roſeo: tantâ varietate amœnitatis, vt gemmarum omnium Apothecam non iniuriâ dixeris. Figura quadrangula eſt, atq; ſexangula fere: neq; in aliam quam STELLAE figuram vllus deſinit. Iure Si enim vlla in cælo STELLA quicquam in corpora humana poteſt; hic LAPILLVS poteſt; qui à STELLA MARIS vim ſuam traxit.

CAPVT XIII.

COELESTE VIRGINIS MVNVS, PLANETAE, SEDES.

TRiplicem beatis DEIPARAE manibus elaboratam Sacerdotalem veſtem, certè mortalibus impertitam, atq; ad Sacroſanctum altaris myſterium peragendum conceſſam legimus: S. Illephonſo Toletano, S. Bonito Aluernenſi, S. Thomæ Cantuarienſi Pontificibus.

Pri-

Prima igitur & nominatiſsima eſt illa, quæ Oueti in Hiſpanijs, etiam hodie aſſeruatur. Eius hiſtoria taliter à Ioanne Vaſæo texitur: (a) *Mortuo B. Eugenio Toletanæ Sedis Epiſcopo Metropolitano, ſurrogatur Alfonſus (alij Illefonſum, quidam Ildefonſum atque etiam Hildefonſum vocant) claro natus loco, & S. Iſidori diſcipulus; cuius tempore duo diſcipuli ex Gallia Gothica in Hiſpaniam venerunt, & inuiolatam Beatiſsimæ ſemper Virginis* MARIAE *Virginitatem, ſacrilego ore polluere conati ſunt; inſanum ac blaſphemum Heluidij dogma reſtaurare volentes. Horum alteri * Teudio nomen, alteri Pelagio fuit. Quos B. Pontifex Alfonſus & facundiæ gratia, & Scripturarum teſtimonijs ita confutauit, vt confuſionis & verecundiæ plenos Hiſpania cedere coegerit. Quod obſequium tam gratum Sanctiſsimæ Virgini Matri exſtitit vt Sanctorum agminibus ſtipata ipſi apparuerit, cum B. Alfonſus ad Matutinas horas de nocte ſe conferret, clero comitatus & populo, librum quem de perpetua ipſius Virginitate ſcripſerat manu geſtans, idque XV. Kalend. Ianuarias: quo die ex decimi Concilij Toletani Decreto, Commemoratio Annunciationis Beatiſsimæ Virginis tota Hiſpania*

Planeta S. Illephonſi.

(a) *In Chron. Hiſp. ad an. 662.*

* *Helladium Ioan. Mariana vocat.*

celebratur: neque solum apparuerit, sed Vestem *etiam* sacram, *qua in facienda re diuina vteretur, dederit, tamquam Diuinæ gratiæ & fauoris sui pignus & obsidem*, &c. Hactenus Vasæus. Ad cuius rei memoriam Ecclesia Toletana suis in stemmatibus Sacram Virginem appingit, Diuumque Illefonsum ipsius pedibus prouolutum, ac cælestem illam vestem induentem.

Quin etiam ipsa B. VIRGO, eidem CATHEDRAM siue SEDEM cum vestimentis Sacerdotalibus detulisse, dedicasseque memoratur, à Trithemio, (b) & Villega. (c)

(b) Lib. de Script. Eccles.
(c) In Flore SS. 23. Ian.

Verba autem quibus tunc vsa Diua fuit, hæc à Roderico Toletano (d) habemus:

(d) Lib. 2. c. 22. de Reb. Hisp.

Quia fide certa; conscientia pura, lumbos tuos Virginitatis cingulo cinxisti, & gratia labiis tuis diffusa, Virginitatis meæ gloriam in cordibus Fidelium depinxisti, accipe vestem de thesauris Filij mei, vt etiam in hac vita vestimento gloriæ adorneris; & ea in meis & Filij mei solennitatibus vestiaris.

Celebrauit itaq; diuina illa veste ornatus, nec ab illo quisquam ausus inter sacra vti; (e) præter Sisbertum; qui anno DCXC. in defuncti Iuliani Archiepiscopi Tole-

(e) Marian. lib. 6. c. 18. ad an. 690.

Toletani locum ſuccedens, homo audax & temerarius; illam Prædeceſſorum religione hactenùs intactam, contrectare atq; eâ indui non formidauit. At non impunè: etenim paulò poſt læſæ Maieſtatis reus, & ſede ſuâ expellitur, & in exilium relegatur.

Porrò, ſacro hoc pignore lætati ſunt Toletani in annum DCCXIV. ſolum, nec amplius. Tunc enim Vrbanus Archiepiſcopus in Aſtures *Veſtem* detulit, vt à Maurorum, qui tunc in ijs partibus graſſabantur, direptionibus tutior eſſet; ac in ſubteraneo ſpecu abſcondit, octo millibus paſſuum ab eo loco, vbi poſtmodũ Ouetum vrbs ædificata eſt. Qua conſtructa, ac S. Saluatoris templo eadem in vrbe per Froilam Regem AEra DCCXCI. id eſt anno Chriſti DCCLIII. comparato: diuinum hoc munus eo transfertur, hodieq; conſeruatur.

ALTERA VESTIS SACRA ſeu PLANETA Aluerniæ, quæ Mons Clarus dicitur, eiuſdem largitione obtenta ſeruatur, ac populo monſtratur. Illam Sacra Virgo S. Bonito Aluernenſi Epiſcopo, dum ſolus in B. Michaêlis templo profundius oraret, ſplendidiſsimo Angelorum ac Sanctorum cœtu ſociata celebraturo obtulit, atq; in amoris fauoriſq; ſui arram reliquit: cuius materies & texturæ modus (ſcribit *Planeta S. Boniti.*

(f) Lib.7.c.97. Magn. Spec. Exempl. dist. 4. exemplo. 6.

Vincentius) (f) à nullo hominum dignosci potest. Et est eximij candoris, miræq; leuitatis ac lenitatis.

(g) Ibid. dist. 9. exemplo 122. Planeta S. Thomæ Cantuariensis.

Tertia sit illa, quam D. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, etiam tum adolescens (g) dilectionis symbolum accepit, purpuream illam, atq; pulcherrima pixide reclusam: de qua latius tractatur in magno speculo exemplorum.

Capvt XIV.

CEREI B.V. MIRACVLOSI.

(a) Lib. 2. mirac. cap. 30. Cerei B. V. Romæ.

D. Petrus Abbas Cluniacensis, dictus Venerabilis, qui claruit S. Bernardi temporibus, tradit, (a) *cereos*, in æde S. Mariae Maioris de Vrbe à primis Vesperis festi Assumptionis incendi solitos vsque ad secundarum finem, totis XXIV. horis permanere continuè ardentes, nihilque penitus imminutos: *Et hoc*, inquit, *tam nobile, & ante nusquam auditum miraculum, ad commendandam mortalibus gloriam Matris Domini, non in quolibet ignoto, vel in humili loco, non in qualibet, vel quantalibet ciuitate, sed in ipsa Vrbe Orbis capite, non semel tantum, sed aßidue recursu annuo diuina pietas, & potentia operatur.*

Memo-

Memoratissimus ille Atrebatensium, Cereus, (scribit Iacobus Meyerus, (b) *duobus Histrionibus Itherio & Normanno, de cœlo, per Virginem Matrem traditus, qui & alios quidem sanare morbos, sed præcipuè contra Ignem sacrum, præsentissima præstare dicitur remedia. Vnde & multi alij Cerei, vt Brugensis, Falcobergensis, Bononiensis*, Nigellanus, *Arkensis Blandecanusque deriuati*. Hactenus Meyerus. Addit Ferreolus (c) Pecquicurtianum in Aquicincto, Lilanum; Paulinatium alterum; qui ante funus vrbis illius deploratissimum (contigit anno MDXXXVII.) in illa & merito, vel Iterij illius Paulinatis nomine, habebatur, magnaque veneratione colebatur, Societate collecta sub Auspicijs N.D. de lætitia, siue Exhilaratricis. Celebrantur & illi Montis-Serrati à miraculis, & alij pluribus locis B.V. cultu & peregrinatione illustribus.

Item Atrebati.

(b) Lib. 4. Annal. Fland. ad an. 1095.

(c) Lib. 5. *c.* 24.

Capvt XV.

DE OLEO EX CAELESTI VIRGINIS DONO.

CLaudat agmen reliquiarum Deiparae, insigne & hoc Virginis Mariae donum; *Oleum* sc. sacrum; quod ipsamet B. Thomæ Cantua-

Oleum S. Thomæ allatum.

tuarienſi Archiepiſcopo, exilij ærumnas patienti tradidit; quo deinceps Reges Anglorum, Regni capientes diadema, per Cantuarienſem Pontificem inungerentur. Id diſertè aſſerit Thomas VValſingam, quum in hiſtoria ſua Anglicana, tum in Ypodigmate Neuſtriæ. Hic ita habet: (a) *Die tranſlationis S. Eduuardi Regis & Confeſſoris, coronatus eſt Rex Henricus IV. apud VVeſtmonaſterium, per manus Domini Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi;* & paulò poſt: *Et in auſpicium vberioris gratiæ ſibi futuræ, delibutus eſt illo cæleſti vnguento, quod olim B. MARIA Mater DEI commiſit Beato Thomæ Martyri & Archipræſuli Cantuarienſi dum eſſet in exilio, conſeruandum; prædicens eidem quod Reges Anglorum, qui vngerentur hoc vnguento, pugiles Eccleſiæ futuri eſſent. Hoc vnguentum in Aquila Aurea & olla lapidea conſeruatum latuit per multa tempora, vſque ad XXI. annum Richardi II. Regis, prædeceſſoris Regis præſentis* (Henrici IV.) *qui dum curioſè perſcrutaretur res relictas in turi à ſuis anteceſſoribus, inopinatè reperit aquilam auream, cum ampullâ, & ſcripturam ſiue Prophetiam beati Thomæ repoſitam cum ijſdem. Hanc Aquilam Rex Richardus portauit ſuper ſe profectu-*

(a) *Ad annū 1399.*

fecturus in Hiberniam, & inde rediens tradidit Archiepiscopo Cant. eam petenti, licet inuitus. Huc etiam spectat *oleum*, quod varijs locis ex imaginibus Deiparæ Virginis effluxit, cuiusmodi vnguentifera imago erat etiam olim Sozopoli, plurimorum liquore suo miraculorum effectrix. Hinc mirabile quiddam, quod S. Theodoro Sicæorum Archimandritæ euenit, ita recēset Georgius Eleusius:(b) *In sanctißimæ* DEI *genitricis* MARIAE, *venerabile templum ingressus, vbi diuino munere oleum manat, manibus in crucis speciem extensis precans, oculos in admirabili imagine desigebat, cum oleum diuino nutu efferuescens, in oculos eius insilÿt, eosque conspersit. Quamobrem omnes qui diuinum illud testimonium aspiciebant, dixerunt, verè magnus est hic* DEI *seruus.* Nec prætereunda est imago illa, de qua Arnoldus Abbas. (c) *A Damasco,* inquit, *ad tria milliaria est locus quidam in montibus situs, qui Saydaneida vocatur, & à Christianis inhabitatur, & est ibi Ecclesia, in rure sita, & in honore gloriosæ Virginis dedicata, in qua moniales Virgines duodecim, & Monachi octo aßiduè* DEO *seruiunt, & B.Virgini; in qua Ecclesia vidi tabulam ligneam, ad mensuram vnius vlnæ lon-*

Oleum ex imaginibus B.V.

(b) *In Vit. Theod.*

(c) *In Chron. Sclau. lib.7. cap.* 10.

gam, & latam ad modum dimidiæ vlnæ, retrò altare in muro sanctuarij in fenestra positam, & ferro laqueariter cancellatim firmatam, in qua tabula effigies B. Virginis aliquando depicta fuit, sed nunc, quod dictu mirabile est, pictura super lignum est incarnata, & oleum odoriferum super odorem balsami incessanter ex ea manat. De quo oleo multi Christiani, Sarraceni & Iudæi de diuersis langoribus sæpè liberantur.

Et nota quod oleum illud nunquam imminuitur, quantumcunque inde accipiatur. Nec prædicta tabula à quoquam tangi audetur, videri autem omnibus hominibus conceditur. Oleum verò illud à Christiano religiosè conseruatur, augmentatur, & pro quacunque re cum deuotione & fide sincera sumptum fuerit, pro honore sanctæ Virginis, commißisque solennitatibus indubitanter impetrabitur. Ad locum in Assumptione gloriosæ natiuitatis suæ omnes Saraceni illius prouinciæ, vna cum Christianis, caussa orandi confluunt, & Saraceni cæremonialia illic sua offerunt cum maxima deuotione.

Nota, hæc tabula primò Constantinopoli facta & depicta fuit. Tunc temporis quædam Abbatissa supradicti loci caussa orationis Ierusalem

ſalem deſcenderat, & impetrata tabula à Patriarcha Ieroſolymitano, eam ſecum ad Eccleſiam ſibi commiſſam tranſportauit. Fuit autem hoc Incarnationis anno DCCCLXX. *Sed poſteà per multa tempora cœpit oleum ſacrum ex ea manare.* Hæc Arnoldus, quæ etiam Baronius recitat, Tomo X. Annalium Anno Domini DCCCLXX.

LIBER IV.

CAPVT I.

DE SANCTARVM RELIQVIARVM TRANSlatione.

EGIMVS in genere de ſanctarum RELIQVIARVM cultu & veneratione; deſcripſimus ad hæc in ſpecie, Domini noſtri IESV Chriſti Saluatoris & Redemptoris noſtri, eiuſque ſacratiſsimæ Genitricis Virginis MARIAE RELIQVIAS: reſtat nunc vt de cæterorum Sanctorum LIPSANIS pluribus agamus; vbi inprimis occurrit TRANSLATIO ipſa SS. Reliquiarum.

Nam aliquoties transferuntur RELIQVIAE, vel quia hoc diuina viſione mã-

datur, vel quia ſic expoſtulat locus hoſtibus fortè vicinus, vt de multis Sanctorum corporibus translatis legimus. Verùm Concilium Moguntinum I. ſub Carolo Magno ſic ſtatuit: (a) *Deinceps corpora Sanctorum de loco ad locum nullus præſumat transferre ſine conſilio Principis, vel Epiſcoporum, vèl S. Synodi licentia.*

(a) *Can.* 51.

Quando SS. corpora trāſferri cœpta.

Quod verò pertinet ad Trāslationem plurimorum SS. Martyrum corporum Româ in Gallias, vel in alias Tranſalpinas prouincias ſæpè factas: noſſe debemus id agi cœptum eo tempore quo Franci Romanam Eccleſiam à Longobardis alijſq; tyrannis vindicantes, multis officijs de eadem ſunt optimè meriti: quod enim olim aliàs fuit intentatum, tunc à Romanis Pontificibus conſequi cœperunt.

Nam vetus Romanæ Eccleſiæ conſuetudo non tantùm abhorruit vt corpora Sanctorum Roma transferri pateretur, verum nec tenues RELIQVIAS ex eis detrahi quoquo modo permiſit, teſte Card. Baronio. (b) In hac ſententia ſcribit ſanctus Gregorius: (c) *Romanis namq; vel totius Occidentis partibus omninò intolerabile eſt & ſacrilegum, ſi Sanctorum corpora tangere quis fortaſſe voluerit: quod ſi præſumpſerit, certum eſt quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro quâ re de Græ-*

(b) *In not. Martyrol.* 15. *Iunij.*
(c) *Lib.* 3. *epiſt.* 30.

corum

eorum consuetudine, qui ossa leuare Sanctorum se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus. Quæ verba etiam supra (d) retulimus, cum alijs S. Germani ad Hormisdam Papam.

(d) Lib. 1. c. 2.

Quid de corporibus Apostolorum Petri & Pauli ad Constantiam Augustam scribat memoratus Diuus Gregorius Magnus, his adijciamus: (e) *Dum beatæ recordationis*, inquit, *Prædecessor meus, quia argentum, quod supra sacratissimum corpus Petri Apostoli erat, longè tamen ab eodem corpore, ferè quindecim pedum spatio, mutare voluit, signum ei non parui terroris apparuit. Sed & ego aliquid similiter ad sacratissimum corpus sancti Pauli Apostoli meliorare volui: & quia necesse erat, vt iuxta sepulchrum eiusmodi effodi altius debuisset, præpositus loci ipsius ossa aliqua non quidem eidem sepulchro coniuncta reperit, quæ quoniam seruare præsumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus tristibus quibusdam signis subita morte defunctus est.*

(e) Loc. cit.

Reliquiæ sanctorum non facile transferendæ.

De corporibus eorūdem Apostolorum quid præterea dicturus sum? dum constet, quia eo tempore quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora, sicut ciuium suorum

rum, repeterent, quæ ducta vsque ad secundum vrbis miliarium, in loco qui dicitur ad Catacumbas, collocata sunt: sed dum ea leuare omnis eorum multitudo conueniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu perculit atque dispersit, vt talia denuò nullatenus attentare præsumpserint. Tunc exeuntes Romani eorum corpora, qui hoc ex Patris pietate meruerunt, leuarunt, & in locis, quibus nunc sunt condita, posuerunt. Porrò disputant Summistæ vtrum liceat Reliquias furtiue substrahere, & transferre vt alibi honorabilius collocentur, & cōcludunt non licere, imò huiusmodi substractorem sacrilegium committere 17. 44. *Quisquis.* Quod verum esse aiunt, etiamsi ex deuotione fiat secundum Raden. & Hug. Alterius sententiæ videntur fuisse prisca secula, & forsan communis error illorum temporum, qui vtinam & hodie apud homines alioquin etiam religiosos non vigeret.

CAPVT II.

DE S. IOANNIS BAPTISTAE RELIQVIIS.

(a) *Lib. 1. c. 4.* ENARRAVIMVS suprà, (a) cùm de solenni pompa in SS. RELIQVIARVM delatione adhiberi solita, agere-

geremus, nonnullorum Sanctorum corporum TRANSLATIONES, licet confuso ordine, nunc celebriores quasdam dilucidiore serie referemus.

Atque vt ab antiquioribus exordiamur, SEBASTE, quæ est ciuitas diurno itinere Hierosolymis distans ab Herode condita, vbi Præcursoris corpus humatum dicitur, (b) Lucas Euangelista, dextram ex Prophetæ corpore manum detraxit, secumque Antiochiam deportauit, vbi plurima designauit miracula. Inter quę draco erat in finibus illis latitans, quem ciues DEVM arbitrati anniuersario sacro, homine per Græcanicam sortem delecto colebant.

(b) Matthæus Rader. in Virid. SS. De manu S. Ioannis Baptistæ.

Accidit dein progressu temporis, vti Christianum sors attingeret, qui draconi filiam suam victimam obijceret. Draco quippe è speleo suo proreptans, vt inexspectatum subitò portentum parebat, atque immane hians victimam hauriebat, ac dentibus horrendum in modum discerpebat. Quapropter virgunculæ parens DEVM, Diuumque Ioannem multis lachrymis deprecatus, filiam vti suam à tam atroci & infami letho eriperet, huiusmodi artificium comminiscitur. Impetrat potestatem colendæ sanctæ, Præcursoris manus; quam dum exosculatur, clàm dentibus pollicem morsu auel-

lit

lit (ne aduerterent custodes, pecuniam, quasi imprudens in terram effudit, ad quam flexere oculos & manus custodes) desideratóque pignore potitus templo egreditur, diéque sacrificij destinato, populo frequentissimo filiam pater apportat, proximusq; iam draconi, postquam illum aperto rictu hiantem vidit, hostiamque anhelantem, sacrum illum digitum in medias hiantis fauces conijcit, quo ille bolo repentè interemptus concidit, paterque filiam necato dracone viuam retulit, ingensque miraculum atque genus liberationis admirandum publicè prædicauit. Populus inusitati facti portento attonitus, persolutis Deo & Dei prodromo Ioanni gratijs, magnificentissimam ædem suis sumptibus exædificauit.

Miraculum.

Dicitur Episcopus die sacro S. cruci exaltatæ, venerādam hanc manum, spectante populo, sublimem tollere, eamq; dum tollitur, subinde explicari, subinde per se contrahi: atque per explicatam quidem manum frugum vbertatem portendi, contractione verò, annonæ claritatem denunciari.

¶ Quapropter multis Imperatoribus in votis erat si qua ratione per TRANSLATIONEM fieri posset, vt illâ manu potirentur, præsertim Constantino & Ro-

mano

mano Porphyrogenitis. Vnde & his imperitantibus, ab Antiocheno quodam diacono, qui Iobus audiebat, circa horam illam veſpertinam, quam Chriſtiani veteres pro more diem luminum celebrantes ſanctificationis myſterium peragebant, ſacra Præcurſoris dextra ſubducta & tranſlata (Conſtantinopolim) eſt, quam Imperator, religioſiſsimus pietatis cultor, magno deſiderio exoſculatus, in regia depoſuit.

Antiochia porrò ea tempeſtate in Saracenorum poteſtate erat, capta A.C. DC.XXXVIII, manſitque in eorum ditione vſque ad M.XCVIII. Deſiderabant ergò Chriſtiani hanc manum ereptam ex barbarorum poteſtate, quam olim Iuſtinianus tranſtulerat, ſed remiſerat Antiochiam. (c) Bar. tom. 8.

De eadem tranſlatione ita ſcribit Curopalates. (d) Adducta eſt eodem tempore ex Antiochia in vrbem regiam veneranda Præcurſoris manus, à quodam Diacono, Iob, nomine, furto rapta, quæ cùm ad Chacedonem perueniſſet, Imperator miſſa regia triremi, & Senatorij ordinis Principibus, egreſſo quoque obuiam Patriarcha Polyeucto, toto comitante clero, cum facibus, lampadibus & thure eam in regiam perduxit. (d) A.C. 956.

Iuliano imperante, eodemque iubente, gen-

Ossa S.Ioannis combusta.

te, gentiles *Sebaste* in Palæstina D.Ioannis Baptistæ tumulum aperuisse, ossa effodisse igni absumenda, & eorum cineres pasſim disperſisse leges apud Baronium. (e)

(e) Anno Domini 362.

Post nonnullos annos verò Theodosius imperator recedens ex Italia(f) Constantinopolim cum peruenisset IV. Id. Nouemb. an. CCC.XCI. nihil antiquius habuit, quàm vt absoluta Basilica, quam in honorem S.Ioannis Baptistæ, in Septimo, sumptuosè erigendam curarat, inuentum sub Valentis imperatoris tempore caput eiusdem S.Ioannis Baptistæ, in eam, ex Coslai vico, prope Chalcedonem, transferret. Sozomenus, Prosper, Cedrenus rem narrant; sed hi duo variant in tempore, ille parum probabilem habet narrationem, vt à scriptore Macedoniano petitam. Sed, quod spectat ad eius venerandi capitis inuentionem, nulla est ferè historia, quæ tam variè narretur. Porro tam apud Græcos, quàm Latinos, publicis monumentis, duplex ~~memoria~~ anniuersaria memoria peragitur, duplicis eiusdem Præcursoris capitis inuentionis. Quarum prior illa dicitur facta, ex ruderibus antiquæ Herodis Regiæ, posterior verò ex agro Ermesæ, vnde translatum est Constantinopolim.

(f) Socr. lib.5. cap 19.

Theodos. caput S.Ioan. Baptistæ trãsfert Constantinopolim.

Lege Card. Baronium in Annalibus, & in

& in notis ad Martyrologium Romanum, vbi hæc inferit: (g) *Rursus Romanum Martyrologium profitetur, caput S. Ioannis Baptist. Romæ asseruari in Ecclesia S. Siluestri in Campo Martio; pars tamen illa capitis, mentum dicta, qua illud caret, Augustæ Prætoriæ in finibus Subalpinorum haberi perhibetur, licet aliæ ciuitates easdem sacras Reliquias sibi vendicent. Sed hæc non disputo. Memini me legisse in Bibliotheca S. Petri in Vaticano litteras Apostolicas Bonifacij Octaui Rom. Pont. quibus elargitur indulgentias inuisentibus prædictam Ecclesiam ea die, qua illud sacratissimum caput in alio ornatissimo vase tunc affabrefacto repositum est intra argenteum tabernaculum, quod (vt memoria recolunt seniores sanctimoniales eius monasterij) tempore Borbonicæ cladis à militibus direptum est; caput autem cum suo vase, in quo hodie cernitur, seorsum positum atque absconditum à sacris Virginibus illæsum seruatum fuit. Ob tam insigne monumentum eadem ipsa Ecclesia* S. Siluestri, *ad* caput *dicta reperitur, vt habes apud Martinum Polonum, libello, de quatuor maioribus regnis, cum agit de Palatijs vrbis.*

(g) 29. *Aug.* *Caput S. Ioannis Romæ.* *Mentum Augustæ Prætoriæ.*

Non omittimus dicere, non tantum Alexādri-

De alijs eiusdē Reliquiis,

Q

driam sacrarum Reliquiarum Præcursoris Domini olim factam esse participem, sed alias etiam vrbes, Orbisq́; regiones tãtis pignoribus locupletatas: eadem enim Cyrum Syriæ ciuitatem ex Palæstina esse delata, scribit Theodoretus.(h) *In Gallias insuper ad Vasensem ciuitatem, ac in Mauriennam vrbem esse perlatas sacras Ioannis Baptistæ Reliquias, scribit Gregorius Turonensis.* (i) *Testatur hoc ipsum de Maurienna Sigebertus,* (k) *agitq́; de miraculis illic editis.*

(h) In Theophilo cap. 21.

(i) De glor. Mart. c. 12. & 14.

(k) In Chron. an Dom. 613.

Nec prætérimus, S. Paulinum Nolanum Episcopum easdem in Nolana Basilica condidisse, vt ipse scribit. Itemq; S. Gaudentium Episcopum Brixianum in Basilica à se *condita collocasse, vt idem refert in sermone habito in dedicatione Basilicæ. Porrò sacrosanctum digitum indicem, quo Christum Dominum indicauit, dicens: Ecce agnus Dei, &c. Hierosolymis delatum esse in insulam Melitam à Fratribus Hospitalis S. Ioannis. illicq́; magnã veneratione habere, percepi.* Hucusq; D. Baronius.

(l) In Natali 9. S. Felicis.

De eiusdem digito refert D. Antoninus Florentinus,(m) quod *fuit quædam mulier in Gallia, ciuitate Maurienna, valde deuota beato Ioanni Baptistæ quæ per multa tem-*

(m) In Chron. p. 2. tit. 13. c. 4. §. 2.

De pollice.

tempora petebat à Deo. sibi aliquid dari de reliquijs eiusdem S. Ioannis. Hæc ergo mulier tandem vouit se non comesturam, donec quod petebat, reciperet, sicq́ permansit diebus septē. Septima igitur die vidit super altare, Ecclesiæ in qua orabat pollicem, miri candoris sibi apparentem, quem læto animo accepit. De eodem supradicto digito indice, habetur insignis particula, brachio argenteo inclusa, in sacrario nostri Monasterij SS. Vdalrici & Afræ Augustæ Vindelicorum, vbi etiam non exigua particula capitis in argentea Deiparæ Virginis puerum IESVM manibus tenentis, & Ioannis Præcursoris itidem pueruli colludentis imagine, opere phrygio eximiè exornata, cernitur. Item Coloniæ ad S. Crucis Dominicanorum, cōseruatur articulus indicis S. Ioan. Baptistæ vt tradit P. Erhardus VVinheim in Sacrario Agrippinæ. *De indice.*

De capite prædicto ita scribit Guilelmus Pepinus:

Dictum caput sub terra inuenerunt facta super hac reuelatione ab eodem Ioanne duo monachi saccis cilicinis involutum, quod postmodum Constantinopolim, inde ad Gallias regnante Pipino translatum est, atq; diuisum, & in diuersis Galliarum ecclesiis per partes reconditum honorifice, & cum carne adiacente ossibus. *(x) De imit. SS. ser. de S. Ioan. Bapt.* *Iterum de capite.*

bus. Et de hoc extat fidele testimonium in illa mandibula superiori, vna cum fronte, vbi sensibiliter videtur vulnus, quod cum gladio intulit dicto sacro capiti impudica illa Herodias, postquam in disco ad illam delatum est per filiam suam. Quæ quidem mandibula valde magnificè reconditur in ecclesia cathedrali Ambianensi quam etiam propriis oculis videmus.

(o) Tho. Boz. de sig. Eccles. Dei tom. 2. lib. 15. c. 10.

Neapoli in æde S. Gregorij custoditur ampulla, (o) in qua est sanguis S. Ioannis Baptistæ, qui lapidis instar durissimi est concretus sed in die quo festũ Præcursoris celebratur, poni solet huiusmodi ampulla super altare, & dum sacra officia celebrãtur, illa ipsa hora, qua caput est amputatum Ioanni Baptistæ, sanguis ille colliquescit, antea durissimus, agitatur, efferuescit, cunctis qui eo confluunt, inspicientibus, & rem tantam demirantibus.

Sanguis Ioan. Baptista ipso festo mouetur.

S. Ioan. Euangelista tunica inuentio.

(p) Greg. epist. 3 ad Ioan. Abb.

Anno Christi DXCII. Gregorio Magno summo Pont. accidit, vt reperta tunica S. Ioannis Euangelistæ, Romam deferretur, (p) quam collocatã sub altare S. Ioãnis in Basilica Constantiniana, & miraculis coruscare testatur Ioañes Diaconus *in vita S. Greg.*

C A-

CAPVT III.

DE RELIQVIIS SSS. ANDREAE APOSTOLI, LVCAE Euangelistæ, & Timothei Episcopi.

DE harum Reliquiarum translatione, ita meminit Martyrologium Romanum: (a) *Constantinopoli translatio sanctorum Andreæ Apostoli, & Lucæ Euangelistæ de Achaia, & Timothei discipuli B. Pauli Apostoli ab Ephesô: corpus autem S. Andreæ longo post tempore Amalphim delatum, ibi pio fidelium concursu honoratur: ex cuius sepulchro liquor ad languores curandos iugiter manat.* De tempore huius translationis legẽdus Cardinalis Baronius in notis. Porro Nicephoro (b) teste, S. Artemius Martyr Augustali præfectura nobilitatus, eiusmodi translationis negotium sibi tanquam viro religiosissimo traditum à Constantio imperatore curauit.

(a) Die 9. Maij.

SSS. Andreæ, Lucæ, & Timothei Reliquiæ vnde & à quo translatæ.

(b) Hist. lib. 10. cap. 11.

Theodorus Lector, (c) id etiam sub Constantio factum affirmat: additque, Andreæ & Lucæ Reliquias translatas v. Nonas Martij, Timothei autem ad VIII. Kal. Iulij, hisque diebus locatas esse Constantinopoli, in magno tẽplo SS. Apostolorum.

(c) libro 2. collectan.

(d) Lib. 1. de ædif. Iustiniani Imp.

ſtolorum. Procopius (d) de reſtitutione eiuſdem Baſilicę, deque iterum adinuentis tunc ibi dictorum Apoſtolorum ſacris corporibus, hæc ait: *Erat antiqua apud Byzantium ædes Apoſtolis conſecrata, longitudine temporis iam emota, & quæ (vt ſuſpicabatur) amplius ſtare non poterat: hanc inſtaurauit Iuſtinianus Imp. pro dignitate. Vbi latomi & artifices effoſſo fundamento, inuenerunt ligneas arcas tres, inſculptis literis indicantes, trium ſcilicet Apoſtolorum corpora, Andreæ, Lucæ, & Timothei; quæ Rex ipſe, & omnes Chriſtiani maximo cum honore conſpexerunt.*

(e) In vita Conſtantini lib. 4. cap. 50. & 60.
(f) lib. 1. c. 12. & 26.

Fuerat olim templum illud á Conſtantino Magno erectum, vt teſtatur Euſebius (e) & Socrates (f) quj ait: *Quam quidem Eccleſiam eam ob cauſſam Conſtantinus ædificauerat, ne imperatores & Sacerdotes Apoſtolorum Reliquijs aliquando deſtituerentur.* Quibus profectò annuit, aliquas Apoſtolorum reliquias illic tempore Conſtantini eſſe tranſlatas.

S. Andreas Amalphim translatus.

De tranſlatione S. Andreæ iterum facta Amalphim, in archiuis illius Eccleſiæ rei geſtæ monumenta continentur. De perenni miraculo ſcaturientis inde liquoris medici ad curandos morbos totus penè Chriſtianus orbis eſt teſtis: in om-

nes

nes enim regiones ex eo fonte fluxere riui. Et si de his quæris testimonium antiquorum, habes Gregorium Turonensem. (g)

Sanè Gregorius Magnus, adhùc Diaconus Constantinopolim legatus ad Tiberium Imp. ab eo obtinuit brachium S. Andreæ Apostoli, nec non & Caput S. Lucæ Euangelistæ, quæ sacra pignora secum detulit Romam.

(g) Lib. de glor. mart. c. 31.

S. Greg. Mag. brachium S. Andreæ, & caput S. Lucæ Romam trāsfert.

Et ipse deinde anno secundo sui Pontificatus dedicauit Ecclesiam S. Andreæ ad Cliuum Scauri, vbi adhuc eiusdem S. Apostoli brachium asseruatur.

Caput autem eiusdem sanctissimi Apostoli ad ædes sacras eius germani Romam in Vaticanum à Pio secundo delatum, ibi decentissimè asseruatur: quando nimirum sanctissimus Papa trans pontem Miluium flexis genibus, madidis oculis, excepturus venerandum caput, sic affari cœpit: *Aduenisti tandem, ô sanctissimum, &c.*

Caput sancti Andreæ Romæ.

De eodem Baronius in Annalibus: (h) *Extat adhuc in eodem monasterio S. Andreæ* (in Cælij mōtis regione ad cliuum Scauri) *ipsum eiusdem Apostoli brachium argenteâ thecâ ornatum, quod certis diebus super altare primarium populo visendum, & venerandum proponitur: caput verò S. Lucæ in*

(h) Tom. 7.

Basilicâ Vaticanâ reconditum ibi hactenus honorificè asseruatur. Item Coloniæ Agrippinæ asseruatur brachium eiusdem sancti Apostoli.

(i) Lib. 1. hist. Patau.

S. Lucæ corpus Patauium translatum.

Quomodo vero D. Lucæ corpus Patauium peruenerit, ita describit D. Iacobus Cauacius: (i) *Huius* (nempè Constantini Copronymi hostis sanctarum imaginum & Reliquiarū acerrimi) *tempore ex eadem vrbe Constantinopolitana Vrius presbyter, seu custos Ecclesiæ Sanctorum XII. Apostolorum, vir eximiæ sanctitatis, corpus S. Lucæ Euangelistæ, & Reliquias S. Matthiæ Apostoli subtraxit, easq́ꝫ Patauium delatas in templo S. Iustinæ condidit. Cum his aduexit, tabulam, seu Iconim B.* M A R I AE. *Virginis ex incenso multarum aceruo ereptam, quam in oratorio B. Prosdocimi collocauit. Extat adhuc miraculis celeberrima, hæreticorum persequutionem, & perpessum incendium ex maculis ostendens.*

(k) Ibid. lib. 2.

Ibidem inuentum.

Quomodo idem D. Lucæ corpus circa annū M.C.LXXVII. inuentum sit, pluribus idem persequitur: (k) *Dominicus Abbas cum delectis ciuibus cœptum opus perurgens, adhuc marmoream arcam effodijt, qua plumbea alia continebatur. In hac visebantur tria vitulorum capita, ac duplex signum Crucis affabrè sculpta: Nulla tamen inscriptio,*

quæ

quæ corpus reconditum edoceret, quamuis ex symbolo vitulorum, & constanti fama omnes S. Lucæ Euangelistæ Reliquias affirmarent, In arca plumbea, quæ etiam gratißimum odorem effudit, visum est humanum corpus sine capite, ex cuius aspectu astantium mentes mirabili deuotione, ac pia quadam hilaritate perfusæ sunt. Abbas apud Patricios publica fide arcam custodiri iubet, & Sancti corporis reuelationem à Deo expetendam monet. Ipse triduanum sibi ac Monachis ieiunium indicit, Religiosos viros, ciuesq́; hortatur diuinam interim clementiam efflagitare. Exacto triduo quidam diuinitus admoniti retulerunt incisum in arca plumbea nomen S. Lucæ Euangelistæ si probe inspiciatur. Neq; tamen statim his fides præstita est, sed res adhuc in tertium diem differtur, vt testata magis, ac celebris esset. Eo arcam diligentius intuentes prope angulum ipsius legerunt breuibus literis sculptum SANCTVS LVCAS EVANGELISTA.

Inde maxima omnium ordinum lætitia, quæuis de sancto corpore ambiguitas sublata est.

Et post nonnulla, *Ibi plurima referuntur miracula, & maiora ad arcam S. Lucæ Euangelistæ. Cæci quidam, aliję́; attracti, & vulne-* *Miracula ad S. Lucæ Reliquias*

 rati

rati incolumes inde redierunt intercessione ipsius. Interim extracta est arca ferrea, qua vetus plumbea cum ossibus S. Lucæ cõtineretur. Eam Gerardus (Episcopus) *decentiori loco venerandam exhibuit, vbi ad annum vsq; M.CCCC.XV. permansit.*

CAPVT IV.

DE SANCTI THOMAE APOSTOLI RELIQVIIS.

S. Thomæ Reliquiæ Edessæ.

SANCTI Thomæ Apostoli venerandum corpus ex Italiâ translatum olim fuit Edessam in Syria, atque in eius honorem amplissima est erecta basilica, ad quam ex longinquis remotisque regionibus Christiani religionis causâ confluebant, vt scribit Socrates, (a) Sozomenus, (b) Ruffinus, (c) Gregorius Turonensis, (d) & Venantius Fortunatus hoc versu:

(a) Hist. lib. 4. cap. 14.
(b) Lib. 6. c. 18.
(c) Lib. 2. c. 5.
(d) De gloria Mart. c. 31.
(e) Hom. 26. in epist ad Hebr.

Producens Thomam munus Edessa pium.

His alludit sanctus Ioannes Chrysostomus, cùm ait, *(e) Notum esse, & veneratione habitum sepulchrum S. Thomæ, sicut & Petri ac Pauli Apostolorum.*

Non omittimus dicere, ait Card. Baron. *(f) quòd Hieronymus Osorius Episcopus Siluensis Lusitaniæ lib. 3. res Indicas prosecutus, testa-*

(f) In notis Martyrolog. 3. Iulij.

testatur Indos nuper recipientes Euangelium affirmare, penes se esse corpus S. Thomæ Apostoli, à quo olim acceperunt Euangelium, illudque vsque hodie multis fulgere miraculis. Sed cùm de translatione Edessam factâ luce clarius constet; dicere de hoc cogimur, quod frequenter de alijs reperitur, nempè vnius corporis partes in diuersa loca distributas, occasionem dedisse multis opinandi, vel hic vel alibi contineri vnum idemq; corpus. Eiusdem Reliquias posteà Ortonam translatas, testatur Martyrologium Romanum.(g)

Item Ortonæ.

(g) die 3. Iulij.

Non pigebit interim huc adscribere, quæ Ioannes Petrus Maffeius elegantissimus Auctor de S. Thomę Reliquijs in Indijs Orientalibus inuentis tradit: (h)

(h) Lib. 8. hist. Ind.

Ioannes (Lusitaniæ Rex) *anno ætatis vigesimo, acceptis regni gubernaculis; ad propitiandum cœleste numen, ac populos in officio continendos, illud curabat in primis, vti studium Christianæ religionis antiquissimum sibi esse cuncti perspicerent. Idcircò, & in Lusitaniâ salutariter in eo genere multa decreuit; & per literas Eduardo Indiæ Prætori mandauit, cultui diuino, & Sacerdotum commodis enixè prospiceret; ac nominatim, diuini Apostoli Thomæ sepulchrum, in Coromandelio litto-*

littore, peruestigandum curaret: daretque operam, vti sacrosanctæ illæ Reliquiæ (quanquam easdem, vti suprà dictum est, vel earum certè partem, Mesopotamia sibi vendicat) cum dignitate custodirentur.

Eduardus Emmanueli Friæ, Præposito Coromandelicæ oræ, cum Sacerdotibus aliquot, & architecto id negotium dat. Profecti Meliaporem (nam ibi situm Apostoli corpus audierant) æquatam solo ingentis amplitudinis vrbem offendunt. Paucæ tantùm Pyramides, turresque & columnæ, miserabili è strage superarant: necnon varij coloris lapides, ac veluti Porphyretica peregregiè sculpta fragmenta, quæ antiquum vrbis ornatum & elegantiam satis arguerent. In ijs visebantur operosa magnifici cuiusdam templi vestigia, vno tantum superstite ad Orientalem plagam sacello, crebris intus forisque lapideis crucibus è vetere disciplinâ consperso. Sub eo tecto latere Apostoli ossa cùm accolæ pro certo affirmarent; primùm omnium sarcire ipsum ædificium placuit; quod testudinis pondere pressi parietes, aliquot locis vitium fecissent. Ad eos ergò fulciendos, ac renouanda fundamenta, conductis è vicino operis, dum effoditur humus; ad quintum fermè dodrantem, apparuit loculus lapideâ

Rursum Meliapore.

deâ tabulâ tectus: in quam ab interiore parte incisæ priscâ gentis linguâ (vti à peritis cognitum est) litteræ testabantur: templum id ab sancto Dei Apostolo Thoma quondam exstructum: ei templo tuendo colendoq; merciũ quæ in vrbem importarentur, decimam ab Sagamo Rege attributam. Accesserat obtestatio ad posteros, ne quid eo vectigali ac donatione imminutum vellet. Paulo infra eam tabulam, ipsius Regis (vti ex priscorum traditione Indi asseuerabant) cadauer inuentum. Altius dein molientibus terram, quadratum primò lateritiæ, postremo lapideæ structuræ septum apparuit, multiplici operimento, pedum circiter nouem altitudine. ibi quod sepultum haud dubiè corpus Apostoli dicebatur esse; adhibiti ad amouendum operculum Lusitani duo (nam Indis rem eiusmodi committere non est visum) non nisi noxis per sacram confeßionem expiatis & reconciliato per Eucharistiam Deo, aggredi rem ausi, locum aperiunt. Immista calci & arenæ, cãdidißima specie ossa, & apposita lãceæ cuspis, & viatorij baculi frustum, itemq; vas fictile fidem inuenti demum sacri thesauri Lusitanis fecere. Sub hæc repertum aliud cuiusdam è Thomæ discipulis cadauer; cæterum tetro ac terreo aspectu, quemadmodum & Sagami

gami Regis, vt si alia argumenta defuissent; ex ipso propemodum colore dignosci Apostoli ossa potuerint.

Eo maior gratulatio fuit Christianorum: & affabrefactas, arte Sinarum, arculas duas, è proximo emporio Paleacate confestim afferri placuit: quarum in altera eximij operis argento cælata, ipsius Apostoli; in altera, discipulorum eius reliquiæ inclusæ: & commune gaudium solenni supplicatione pompaq; & priuatis omnium qui aderant studiis celebratum est. Propositis deinde in ipso altari arculis, adbibitoq; custode; claues vtriusq; Emanuel Frias Cocinum Prætori Menesio detulit. Hoc maxime modo per eos dies, & sacello, & religioni consultum. Biennio deinde post, eadem ossa intra ipsam aram occulto loco, duobus tantum consciis Lusitanis, abdita, ac postremò Goam, Constantino Brigantio Prorege (qui Diui Thomæ templum in ea vrbe exstruebat) à fratre quodam Franciscano translata fuisse comperio. Hucusque Maffeius. Non hic prætereundum miraculum, quod DEVS ostendit in templo D.Thomæ, de quo D.Gregorius Turonensis. (i) Lychnus etenim inibi positus, atque illuminatus ante locum sepulturæ ipsius, perpetualiter die, noctuque diuino nutu resplendet

Lucerna perpetuò ardens ante sepulchrum Diui Thomæ, nullo apposito liquore.

(i) Loc. cit.

det à nullo fomento olei ſcirpique accipiens: neque vento extinguitur, neque caſu dilabitur, neque ardendo minuitur. Habetque incrementum per Apoſtoli virtutem, quod neſcitur ab homine, cognitum tamen habetur diuinæ potentiæ.

CAPVT V.

DE RELIQVIIS S. STEPHANI PROTOMARTYRIS, EARVNdemque miraculis.

HOnorio x. & Theodoſio VI. Coſſ. qui fuit annus Chriſti CDXV. beatus hic protomartyris theſaurus eſt repertus. (a)

Viro cuipiam qui vicum illum habitabat, in quo gemma hæc humi condita latebat, ætate, dignitate, & vitæ honeſtate venerabili Luciano nomine Presbytero, ſemel, iterum, ac ſæpius princeps hic Martyrum athleta, ſeſe videndum exhibuit, ſe ipſumque illi aperuit. Presbyter rem ad Ioannem Epiſcopum retulit, qui mox ingenti cumulatus gaudio, ad locum cum vniuerſo ſacroque hominum illius oppidi ordine properauit; terraq; effoſſa inuenit tumbam, vbi repentè tellus vehementer mouit, gratiſsimaque odorum fragrantia circumſtantes omnes afflauit, & Symphonia cælitum ad decimum

(a) Ex Viridario D. Matth. Raderi.

mum vſque lapidem exaudita, illud ſolemne ingeminantium: *Gloria in excelſis* DEO, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quin multæ ſimul variorum morborum curationes factæ gratiam protomartyris declarabant. Extemplo igitur Hieroſolymorum Patriarcha cum geminis Epiſcopis, & ſacro cœtu cleri, populoque vniuerſo, ſacroſanctum illud corpus magno delibutus gaudio, venerabundus cum muſico hymnorum luminumque triumpho, & incenſis thymiamarum odoribus ingenti cum honore & cultu ad Syonis montem deportauit, eximiumque poſtea templum in eadem vrbe ab Alexandro Senatore conditum, qui multis à Patriarcha precibus impetrauit, vti venerandæ protomartyris Reliquiæ cum omni veneratione in eo reponerentur. Nec amplius quinquennium poſt tranſlationem fluxerat, cum ipſe Alexander deſperato morbo correptus, arcam ſibi perſimilem illi in qua ſancti corpus ſeruabatur, fieri curauit, propterque ſanctum depoſitus animam edidit, atque in ſarcophago ſuo iuxta ſanctum eſt collocatus. Poſt annos autem octo, quam Alexander ordinis ſenatorij, diem obierat, vxor Iuliana Alexandri, ne cum propter ingentes opes, tum corporis excellentem pulchritudi-

nem,

nem, à multis ad alterum ſolicitata connubium, inuita nubere cogeretur, huiuſmodi conſilium capit, vt corpore viri ſui accepto Conſtantinopolim ad patriam & patrem recurreret, quæ diuino quodam decepta nutu, dimiſſa viri arca, ſancti protomartyris tumbam lacrymis perfuſam complexa eſt, ac poſtremo reliquias in lectica collocatas iumento ferendas impoſuit. Ita profectionem expediebat, tota porrò nocte cælitum odaria & muſicus concentus fuit exauditus, gratique odoris velut pigmentorum ſuauitas omnia, qua ferebatur, implebat: Cacodæmonum quoque lamenta reſonabant, cum clamitarent, *Væ nobis: Stephanus per nos medios incedit, & nos cruciat.* Cum Aſcalonem maritimam vrbem peruentum eſſet, nauigium quinquaginta aureis compararunt, cœptumque iter mari proſecuti ſunt, in qua nauigatione, quæ quantaque miracula euenerint, nullis compendio verbis exprimi poteſt. Vbi demum Conſtantinopolim nauem applicuit, & res tanta ad Imperatorem eſt delata, & relata, quæ matronæ accidiſſent, è veſtigio ipſa fæmina Imperatori, coram acta omnia à capite ad calcem vſque expoſuit: tum verò inuictus Imperator ingenti perfuſus gaudio, Patriarchæ cum toto religioſorum ſacro

ordine præcepit, vti ſumma cum veneratione & cultu ſacroſancto pignori obuiam prodiret, illudque in regiam deduceret. Tum rurſum prodigia multa, quæ nemo facilè dicendo aſſequatur, oſtenſa, vnum ex cunctis ſilentio nullo modo eſt prætermittendum.

Trahebant currum mulæ in quo theſaurus ille erat repoſtus, dum venirent ad locum *Conſtantianas* appellatum, in quo & depoſitus eſt, cum verberibus iumenta, vt porrò procederent, vrgerentur, altera mularum humanâ voce * *quid* inquit, *nos cæditis? hic Sanctus eſt collocandus.* Has voces & Pontifex, & cætus vniuerſus cùm audiſſet, magnis vocibus in laudes Dei effuſus eſt. Imperator ipſe Chriſtianiſsimus cognito facto rei miraculo attonitus extemplo eodem in loco auguſtum Principi Martyrum templum ad laudem & gloriam Domini noſtri IESV Chriſti, & ſancti famuli ſui excitauit.

* *Apud Cedrenum in Copronymo mulus itidem loquitur.*

Eodem tempore Honorij Imp. eiuſdem Protomartyris Reliquiæ perlatæ ſunt in Minoricam inſulam; quarum virtute vniuerſa gens Iudæorum, quæ inſulam incolebat, ad fidem Chriſti mirandis prodigijs conuerſa eſt.

Porrò venerandas Protomartyris reliquias primus omnium ad oras occidentales

dentales detulit Orosius Presbyter Hispanus, qui illis temporibus peregrinatus est Hierosolymam, tantisq; pignoribus ditauit illustrauitque Ecclesiam Africanam; dum tot tantaque ex illis edita sunt miracula, quæ S. Augustinus fidelissimè recitat, (b) & post multa enarrata, hæc inserit. *Si miracula sanitatum, vt alia taceam, ea tantummodo velim scribere, quæ per hunc martyrem, id est, gloriosissimum Stephanum, facta sunt in colonia Calamensi, & in nostra, plurimi conficiendi sunt libri: nec tamen omnia colligi poterunt.* Euodij præterea Episcopi Vzalensis nomine de ijsdem duo libri conscripti extant.

(b) *Lib* 22. *de ciuit. Dei, c.* 8. & *Ser. de diu.* 31. 32. 33. & *epist.* 103.

Cum autem postmodum VVandali in Africanam prouinciam grassarentur, fertur S. Gaudiosus Episcopus ampullam vitream concreti sanguinis S. Stephani inde Neapolim Campaniæ vrbem fugiens secum asportasse: quæ hactenus ibidem in Ecclesiâ eiusdem sancti Gaudiosi religiosè asseruatur: vbi adhuc miraculum perseuerat, vt super altare ampulla posita, dum sacra Missarum solemnia peraguntur, liquescere, velut recens effusus sanguis, aliquando conspiciatur: idque die 3. Augusti, quâ S. Stephani corporis inuentio celebratur.

Sed illud planè admiratione dignissi-

mum, quòd cùm olim annis ſingulis ter-
tia Auguſti id fieri cōſueuerit; ipſo etiam
anno, quo auctoritate ſanctiſsimæ me-
moriæ Gregorij Papæ XIII. reſtitutum
eſt Romanum Calendarium, ad formam
reductionis anni, nō vt olim decem poſt
dies, ſed eâdam ipſa feſta die ſanguis vi-
ſus eſt ebulliſſe, ſicq; annis ſequentibus:
idem accidit de ſanguine ſancti Ioannis
Baptiſtæ.

Romam etiam translatas poſtea eiuſ-
dem D. Protomartyris Reliquias, edo-
(c) Die 7. Maij. cemur verbis Martyrologij Romani: (c)
*Romæ Trāslatio corporis ſancti Stephani Pro-
tomartyris, quod Pelagio ſummo Pontifice è
Conſtantinopoli ad vrbem allatum, atque in
ſepulchro S. Laurentij martyris in agro Vera-
no poſitum, ibidem magnâ piorum religione
colitur.*

Porrò dum transferretur Romam, ei
honoris cauſa Diuus Laurentius dextrā
conceſsit, vti his verbis narrat Illephon-
(d) Conc. de S. Stephano. ſus Giron Hiſpanus: (d) *Cuius*, inquit,
*corpus translatum in Baſilicam Diui Lauren-
tij, adeò vrbanè à Laurentio ibi iacente exce-
ptum eſt, vt glorioſo Stephano tanquam pri-
mo Martyri primas dederit Laurentius, locu-
lum ſuum in ſiniſtram transferens, dextram
Stephano concedens, ob quam cauſam ab Ita-
lis*

lò nuncupatur Laurentius Vrbanus Hiſpanus: El cortes Eſpanol; ciuilis Hiſpanus.

Sic etiam nuper intellexi in celeberrimo Sueuiæ Ordinis noſtri Monaſterio, *Ad aquas duplices*, ſeu *Zvviſaltenſi*, adhuc incorruptam magno honore aſſeruari manum dexteram eiuſdem ſancti Stephani, de quâ pollicis articulus reſeruatus fuerit à Regina Poloniæ, quæ tantum munus eidem Cœnobio contulerat; & Indicis articulus datus fuerit Sereniſsimo D. Matthiæ Archiduci Auſtriæ, pòſt Rom. Imperatori. Duos etiam dentes eiuſdem S. Protomartyris Coloniæ ad Ioannitas aſſeruari, tradit Erhardus VVinheimius in ſacrario Agrippinæ.

Quin etiam lapidibus, qui ſancti eiuſdem corpus attrectauerunt, honor eſt habitus.

Sic enim Anconæ celebris fuit olim cultus memoriæ eius martyrij ex illo lapide, quo idem *in brachio percuſſus eſt, & multas* ex eo virtutes ſanitatum fieri teſtatur noſter ſanctus & venerabilis Beda (e) Sic etiam ſanctus Auguſtinus, (f) agit de perantiquâ memoriâ eiuſdem Protomartyris Anconæ poſitâ, deque illo ſaxo, quo idem in cubito percuſſus eſt, quod collegit, qui lapidationi illius interfuit, & in Italiam detulit, & Anconæ reli-

(e) *In Martyrol. 3. Auguſt.*
(f) *Serm. 31. & 32. de diuerſ.*

reliquit, ex quo tempore illic memoria S. Stephani esse cœpit, vt idem scribit. (g)

(g) *Cit. ser. 32.*

Sic etiam in Pluribus Germaniæ locis, præsertim perillustri VVeingartensi Cœnobio huiusmodi lapides monstrantur.

Quin etiam in Metensi vrbe aliquid de pignoribus sancti Stephani asseruari, colligitur ex sancto Gregorio Turonensi. (h)

(h) *Lib. 2. c. 6. hist. Franc.*

Brachium eiusdem Moguntiæ asseruari, tradit Serarius; (i) sicuti etiam vnum è lapidibus, quibus obrutus fuit.

(i) *Rer Mog. lib. 1. c. 17.*

CAPVT VI.

DE S. BARNABAE CORPORE.

QVomodo corpus S. Barnabæ Apostoli tempore Zenonis Imperatoris, ipso reuelante, repertum sit, vnà cum codice Euangelij S. Matthæi sua manu descripto, hisce tradit Alexander: (a) *Cumque tertia iam esset apparitio, ait sibi apparenti Episcopus* (Salaminæ Cypri sanctus Anthemius.) *Quæso Domine mi, dic, quis es tu, qui hæc mecum loqueris: Tunc ille ait; Ego sum Barnabas discipulus Domini nostri* IESV *Christi, segregatus à Spiritu sancto, vt vna cum Paulo Apostolo electionis vase munus Apostolicum inter Gentes exercerem.*

(a) *In vita S. Barn. apud Sur. tom. 3.*

S. Barnabas apparet Episcopo.

ercerem. Huius rei signum hoc habeas: Egredere extra vrbem Occidentem versus stadijs quinque in eam regionem, quæ sanitatis locus appellatur (per me enim DEVS *ipse in loco illo miracula efficit) & sub arbore siliquæ effodias: speluncam enim atque arcam inuenies: quoniam illic totum corpus meum relictum est & conditum, & Euangelium propriâ manu scriptum, quod à sancto Apostolo & Euangelistâ Matthæo excepi, &c.* Et post nonnulla: *Episcopus* DEVM *experrectus adorauit, totoque Clero, & populo Christianissimo congregato, exijt in eum locum, quem per reuelationem didicerat, multo apparatu, & cruce ipsa prælata. Cumq; preces ad Deum misisset, iussit locum effodi: quem postquam paulum fodissent, inuenerunt speluncam lapidibus obstructam. Illis autem sublatis apparuit arca illa: quâ detectâ, inuenerunt venerandas sancti & venerabilis Apostoli Barnabæ* Reliquias, *suauem gratiæ spiritualis odorem spirantes. Inuenerunt etiam Euangelium supra Barnabæ pectus, impositum. Illam verò arcam plumbeo signo munierunt. Cumq;* DEVM *precati essent, discesserunt, viris religiosis in eo loco ab ipso Episcopo constitutis, qui vespertinis & matutinis hymnis* DEVM *col-*

Inuentio corporis S. Barnabæ.

Odor Reliquiarum S. Barnabæ gratissimus.

 lauda-

laudarent. Post nonnulla pergit narrare, quomodo Imperatoris rogatu dictus Euangelij sancti Matthæi codex sit Constantinopolim allatus: *Erant autem libri tabellæ thyinis lignis compositæ. Euangelium illud Imperator in manibus sumpsit, & deosculatus est, auróque multo exornatum in Palatio suo reposuit, vbi ad hodiernum vsque diem asseruatur, & in magnâ quintâ Paschæ feriâ, quotannis in Palatij Oratorio Euangelium ex eo libro recitatur. Episcopum verò Anthemium magnis honoribus prosecutus, pecunijs multis donatum, ad Insulam Cypri remisit, eiq́ mandauit, vt sancto Apostolo Barnabæ templum in eo loco erigeret, vbi venerandæ ipsius reliquiæ inuentæ fuerant. Multi autem ex optimatum numero pro illius templi ædificatione, pecuniam contulerunt. Ille igitur in Cyprum reuersus artifices atque operarios collegit, & ædificationi non mediocrem operam dedit, & Apostolo Barnabæ templum valdè magnum tum ædificio, tum multo & vario ornatu insigne construxit.*

Euangelij S. Matthæi codex vbi asseruatus.

S. Barnabæ templum in Cypro.

CA-

CAPVT VII.

VARIORVM SS. TRANSLATIO, VSQVE AD ANNVM Christi D.CCC.

ANno CHRISTI Seruatoris D.C.XXXVII. Antiochia totius Orientis metropolis capitur à Sarracenis, atque his temporibus, quibus siue à Persis antea, siue ab Arabibus postea, ijsdemque Mahometanis, & Sarracenis captæ sunt tres nobilissimæ Orientis ciuitates, Ierosolyma, Alexandria, Antiochia, complura Sanctorum tum Martyrum, tum Confessorum corpora translata sunt in Occidentem. Romam autem translatas tum fuisse venerandas reliquias Ignatij Martyris ex Antiochia, constans fama, vetusque traditio, potius quam scripta, significant.

Translatio Reliquiarum ex Oriente in Occidentem.

S. Ignatij.

Tùm etiam translatum esse corpus S.Hieronymi Presbyteri & Ecclesiæ Doctoris eximij ex Bethlehem Iudæ ad basilicam S.Mariæ ad Præsepe, cum nimirum Sarraceni Palæstinam inuasissent, tradit Petrus in catalogo.(a)

S. Hieronymi.

(a) Lib.4.c.145

Porrò S.Marci corpus, longè post hæc tempora, transferri Venetias contigit. Siquidem qui ad huius sæculi finem, ad ea peregrinatus est loca, ea de eius sancti corpore tradidit, quæ Beda in libello de

S. Marci Euangelistæ.

locis sanctis scripsit, vt adhuc Alexandriæ degentis. Cæterum Sabellicus, qui res Venetorum plus cæteris calluisse videtur, id contigisse scribit sub Iustiniano Venetorum Duce, cuius magistratus incidit in annum D.CCC.XXXI. nam anno D.CCC.IX. Pater eius Angelus, Particiacus dictus, Dux creatus administrâuit Rempublicam annis XXII. His consentire videtur Platina, dũ ait, eiusmodi translationem factam sub Gregorio Quarto Rom. Pont. qui sedere cœpit anno D.CCC. XXVIII. seditque annos XVI. At cum prædictum Iustinianum duobus tantum annis fuisse in magistratu dicant, necesse est affirmare eius Pontificis anno quarto, vel quinto eam translationem esse factam.

In Augia diuite, magnificentissimo olim Alemanniæ Cœnobio, adhuc ostenditur Sarcophagus, in quo S.Marci corpus quiescat; quod ante aliquot secula Venetijs illuc translatum, plurimis claruisse miraculis, tradunt incolæ.

Corpus S. Augustini primò in Sardiniam inde Ticinum transfertur.

Corpus item S. Augustini Episcopi Hipponensis in Africa ex Hippone regio translatum est in Sardiniam à Catholicis Episcopis, qui à Trasamundo VVandalorum Rege Ariano in eam insulam relegati sunt, temporibus Symmachi Papæ; id inprimis operante S.Fulgentio Episcopo

ſcopo Ruſpenſi anno à Chriſto nato D. IV. At verò eo tempore, non tantùm corpus, ſed mitram eiuſdem & baculum paſtoralem, aliaſque ſanctorum reliquias ab eiſdem Epiſcopis illic translatas fuiſſe, auctor eſt Fara de rebus Sardois.

Demùm etiam illa inſula Sardinia à Sarracenis occupata, corpus S. Auguſtini, à Luithprando Longobardorum Rege, magno pretio redemptum, poſt ducentos & viginti circiter annos Ticinum delatum, & in ſuburbio, in Monaſterio egregij operis ab eo conſtructo, & multis redditibus, & precioſis donarijs aucto, quod & *cœlum aureum* vocauit, conditum eſt. Hinc S. & V. noſter Beda, qui illis temporibus vixit, (b) ita ſcribit *Luithprandus audiens, quod Sarraceni, depopulata Sardinia, etiam loca fædarent illa, vbi oſſa S. Auguſtini Epiſcopi propter vaſtationem barbarorum olim tranſlata & honorificè fuerunt condita, miſit; & dato magno pretio accepit, & tranſtulit ea in Ticinum, ibique cum debito tanto Patri honore condidit.* Accidit id anno Chriſti circiter D.CC.XXV. (b) *Lib. de 6. ætat.*

S.Martini Epiſcopi Turonenſis corpus tranſtulit Perpetuus Epiſcopus in nouam Auguſtioremque baſilicam à ſe ædificatam IV. Nonas Iulij; de qua Gregorius Turonenſis. (c) Nam & alias, irruenti- *S. Martini Epiſcopi.* (c) *hiſt. Franc.*

lib.2. c.14. & lib.10. c.31.

ruentibus in Galliam Danis, S. Episcopi corpus in Burgundiam ad tempus translatum fuit, atque inde postmodum, cessantibus illorum incursionibus, Turonos relatum est. Eius rei gestæ historiam narrat S. Odo Cluniac. abbas scribens ad Fulconem.

S. Martini corpus transfertur Antisiodorum.

Rursum cum circiter annum D.CCC. LIII. Northmanni Turonicam vrbem occupassent, DEI prouidentia factum est, vt antequam Turonensis ciuitas ab ijsdem barbaris inuaderetur, & Basilica incendio traderetur, quod in ea asseruabatur S. Martini corpus, inde sublatum ab eiusdem Ecclesiæ clericis transferretur Antisiodorum, quam translationem Oddo Cluniacensis supradictus Abbas venerabilis posteris descripsit.

SS. Martyr. Venantij, &c.

Sanè etiam Ioannes Papa hoc nomine IV. ex Dalmatia & Istria, ne expositæ essent grassationibus Barbarorum, reliquias SS. Martyrum Venantij, Anastasij, Mauri, & aliorum plurimorum Mart. Romam transtulit, & in ipsorum honorem oratorium construxit, iuxta baptisterium Constantini, quod adhuc extat, teste Anastasio.

S. Benedicti.

De S. Benedicti Translatione, qua summoperè gloriantur Floriacenses apud Gallos, negant Casinenses apud Italos; in re tam controuersa nihil ad-

dam

dam iis, quæ ſcripſit A. R. D. Matthæus Lauretus Abbas, in libello, de verâ exiſtentiâ corporis S. Benedicti in Caſsinenſi Eccleſiâ.

Anno Chriſti D. CC. LXXI. inuento corpore venerando ſanctiſsimi viri Huberti Epiſcopi Leodienſis, integro planè, incorrupto, & aromatum more redolente, atque adeo facie ſudore perfuſa, decimoſexto anno ab eius tranſitu, facta eſt eius honorificentiſsima tranſlatio à Carolomanno Rege, maximis muneribus deuotis, & attributis, vaſorum aureorum, & argenteorum, palliorum, peregrino opere elaboratorum, fundorum, & ſeruorum. Habetur deſcripta hæc trãſlatio à diſcipulo eius apud Surium. (d) Opportunè; dum in Oriente ſacræ Reliquiæ dehoneſtantur, & diſperguntur ab impio Imperatore, in Occidente regio obſequio tolluntur, adorantur, transferuntur, & regiâ munificentiâ frequentantur.

Translatio S. Huberti Leod. Epiſc.

(d) 3. Nouemb.

CAPVT VIII.

SANCTARVM RELIQVIARVM TRANLATIO AB ANno Chriſti D.CCC.

SED ne poſterioribus quidem ſeculis SS. Tranſlationes magna celebritate peragi deſierunt; quin etiam eo cele-

dam imaginem, ſaltem ex parte, tempora illa Africanæ Eccleſiæ feliciſsima, quibus illuc ſacra Protomartyris pignora ſunt allata: ſic enim conſueuit DEVS antiqua nouis occaſionibus renouare miracula, quo tepeſcens in Chriſtianorum animis fides incaleſcat. Duos Eginhardus de miraculis ad reliquias SS. illorum Martyrum factis ſcripſit libros. *Cæterum*, inquit, *de his omnibus miraculis ea primùm ſcribenda videntur, quæ in eo loco geſta, & à me ipſo viſa ſunt, ad quem ſuos ſacratiſſimos cineres ijdem beatiſſimi Martyres transferri præceperunt. Deinde illa quæ in Aquenſi Palatio ſub ipſis Aulicorum obtutibus facta memorantur. Tum ea, quæ per diuerſa loca ad quæ viris religioſis petentibus, ac me tribuente, ſacræ illorum reliquiæ delatæ ſunt, geſta referuntur, cenſui eſſe ponenda.* Hæc ipſe, qui duobus illis poſterioribus, trienij ſpatio facta miracula complexus, non ordine temporis, quo ea fieri contigerunt, deſcribens, ſed locorum potius ſeruato ordine eſt proſecutus.

De miraculis per eoſdem SS. Martyres innumerabilibus editis, & ab Eginhardo deſcriptis, quæ ſequente dein anno potiſsimum fieri contigerunt, libellus Georgij Veneti (a) docet, qui ab eodem

(a) *Eginh. lib. 4. cap. 10.*

dem Eginhardo acceptas reliquias in monaſterio S.Saluij, cuius rector erat, religioſiſsimè collocauit, de quo Eginhardus iſta. *Anno XIV. Chriſto propitio, Imperij Ludouici A. cum ad corroborandam Chriſtiani populi fidem, ſicut in initio naſcentis Eccleſiæ ſigna, & prodigia in ipſo Regis Palatio, per merita Sanctorum ſuorum, dignaretur oſtendere, petijt & obtinuit Georgius presbyter, &c.* Pergit narrare plura miracula ad inuocationem Sanctorum in vico Valentianis patrata, quorum reliquiæ deferebantur, paralyticorum, mortuorum, ſurdorum, cæcorum, & aliorum. *Hic eſt Georgius Veneticus, qui de patria ſua ad Imperatorem venit, & in Aquenſi Palatio organum, quod Græcè* Hydraulica *vocatur, mirifica arte compoſuit.* Hæc Eginhardus.

CAPVT IX.

ALIAE EIVSDEM SECVLI TRANSLATIONES celebres.

GRegorius hoc nomine Quartus, omni virtute ornatus, inuitus & renitens, ac latebras quærens Rom. Pontif. creatus, anno D.CCC.XXVII. è ſpeculâ ſublimis throni contemplatus vniuerſum Chriſtiani orbis ouile, ſibi à

dam imaginem, ſaltem ex parte, tempora illa Africanæ Eccleſiæ feliciſsima, quibus illuc ſacra Protomartyris pignora ſunt allata: ſic enim conſueuit DEVS antiqua nouis occaſionibus renouare miracula, quo tepeſcens in Chriſtianorum animis fides incaleſcat. Duos Eginhardus de miraculis ad reliquias SS. illorum Martyrum factis ſcripſit libros. *Cæterum,* inquit, *de his omnibus miraculis ea primùm ſcribenda videntur, quæ in eo loco gesta, & à me ipſo viſa ſunt, ad quem ſuos ſacratiſsimos cineres ijdem beatiſsimi Martyres transferri præceperunt. Deinde illa quæ in Aquenſi Palatio ſub ipſis Aulicorum obtutibus facta memorantur. Tum ea, quæ per diuerſa loca ad quæ viris religioſis petentibus, ac me tribuente, ſacræ illorum reliquiæ delatæ ſunt, geſta referuntur; cenſui eſſe ponenda.* Hæc ipſe, qui duobus illis poſterioribus, triennij ſpatio facta miracula complexus, non ordine temporis, quo ea fieri contigerunt, deſcribens, ſed locorum potius ſeruato ordine eſt proſecutus.

De miraculis per eoſdem SS. Martyres innumerabilibus editis, & ab Eginhardo deſcriptis, quæ ſequente dein anno potiſsimum fieri contigerunt, libellus Georgij Veneti (a) docet, qui ab eodem

(a) *Eginh. lib. 4. cap. 10.*

dem Eginhardo acceptas reliquias in monasterio S.Saluij, cuius rector erat, religiosissimè collocauit, de quo Eginhardus ista. *Anno XIV. Christo propitio, Imperij Ludouici A. cum ad corroborandam Christiani populi fidem, sicut in initio nascentis Ecclesiæ signa, & prodigia in ipso Regis Palatio, per merita Sanctorum suorum, dignaretur ostendere, petijt & obtinuit Georgius presbyter, &c.* Pergit narrare plura miracula ad inuocationem Sanctorum in vico Valentianis patrata, quorum reliquiæ deferebantur, paralyticorum, mortuorum, surdorum, cæcorum, & aliorum. *Hic est Georgius Veneticus, qui de patria sua ad Imperatorem venit, & in Aquensi Palatio organum, quod Græcè* Hydraulica *vocatur, mirifica arte composuit.* Hæc Eginhardus.

CAPVT IX.

ALIAE EIVSDEM SECVLI TRANSLATIONES celebres.

GRegorius hoc nomine Quartus, omni virtute ornatus, inuitus & renitens, ac latebras quærens Rom. Pontif. creatus, anno D.CCC.XXVII. è speculâ sublimis throni contemplatus vniuersum Christiani orbis ouile, sibi à

DEO in Petro creditum, ad tantam præfecturam expauefcens, fuis penitus diffidens viribus, diuinum auxilium conciliandum fibi per fanctos fuos primum putauit, & inter alios per Magnum Gregorium, cuius fepulchrum, quod frequẽtare folebat, iam præ vetuftate vidẽs deforme redditum, nec fatis dignum quod tantum thefaurum concluderet, venerabile eius corpus poft ducentos viginti annos in honeftiorem locum tranftulit, egregio fabricato oratorio, & plurium fanctorum Martyrum reliquijs locupletato & illuftrato.

Translatio corporis fancti Gregorij P.

Per corpus Martyr. fæpe intelligitur pars.

Quod autem ait Anaftafius corpus S. Sebaftiani tranflatum in illud Oratorium, cum fancto Tiburtio, rurfus verò dictum fuperiùs, ex pluribus huius temporis fcriptoribus, illud ipfum opera Hilduini ab vrbe euectum in Gallias, reconditumque in Monafterio fancti Medardi, nec fas fit dubitare de Anaftafij fide ifthæc oculis ipfis fpectantis, neceffariò fatendum erit, quod fuperiùs ex Adone proditum eft, nonnifi partem corporis fancti Sebaftiani delatam effe in Gallias, cùm & Eberfpergæ in Bauariâ caput fancti Sebaftiani miraculis clarum, religiosè ac honorificè afferuetur. *Sed & nos fæpè fumus experti*, ait Card. Baron. (a) *cùm*

(a) In Annal. anno 827.

cùm sunt facta in vrbe eleuationes atq; translationes, non ipsa integra esse corpora Sanctorum inuenta, imò in nonnullis neque dimidiam ipsorum partem, reliquam verò aliam deportatam. Verùm nequaquam dolo malo, & fallendi animo per imposturam pietas fidelium possidere se Sanctorum corpora profiteri consueuit, quorum nonnisi partem acceperit; cum in eis non dimidiatum vel diminutum aliquo modo se sentiant possidere in operatione virtutum, sed planè integrum atque perfectum. Vt qui acceperint sancti Martyris Sebastiani reliquias, non mentirentur, si secum habere ipsum dixerint Sebastianum; teste præsertim ipso Theologo suâ inuectiuâ in Iulianum quælibet passionum signa idem præstare, quod integra ipsorum corpora, & quod corpora idem possint, quod animæ in cœlo beatæ, adeò vt idem Martyr in quolibet corporis sui tenui puluere integer perseueret, oblatrent licet dæmones, & blaspement hæretici hagiomachi.

Gregor. Naz. de particulis reliquiarum SS.

Idem Papa anno dein D. CCC. XXIX. Titulum suum sancti Marci à fundamẽtis restaurauit, & nobili structura exornauit, pretiosis additis ex serico, auro & argento, supellectilibus, illato in illum

S. Hermetis.

(b) Anastasius

etiam sancti HERMETIS corpore. (b)

Porrò eiusdem Martyris articulus translatus in Gallias miraculis insigniter est illustratus, teste Eginhardo, (c) qui & ibidem meminit Reliquiarum SS. Proti & Hyacinthi, per quas ad se delatas, edita miracula commemorat.

(c) Lib. 4. c. 25.
SS. Proti & Hyacinthi.

S. Viti.

Corpus venerandum sancti Viti, gloriosi Martyris translatum esse Româ Parisios sub Pipino Rege, per Fulradium Abbatem sancti Dionysij scribit Sigebertus in Chronico anno Domini D. CC. LV. Inde verò, vt idem ait, in Saxoniam delatũ est año à Christo nato D. CCC. XXXVI. *Vnde*, inquit, *Franci testati sunt, quod ab illo tempore gloria Francorum in Saxones translata est.*

Impetratum est illud à Varino Abbate (d) nouæ Corbeiæ, ab Hilduino Abbate sancti Dionysij in nouam Corbeiam Saxoniæ est translatum, tanta miraculorum benedictione, dum venit, atq; permansit, quantam liber ipse de eius translatione conscriptus significat. De eadem translatione & religioso cultu sancti Viti apud Saxones plura scribit Vuitichindus, (e) & alij.

(d) Apud Sur. 15. Iunij.
Miracula in translatione S. Viti.
(e) Lib. 1. gest. Saxon.

Moguntiæ verò asseruantur eiusdem sancti Martyris digiti, vti memoriæ prodidit P. Nicolaus Serarius. (f) Quomodo san-

(f) Rer. Mog. lib. 1. c. 17.

ſanctus VVenceslaus Bohèmiæ Rex impetrauerit, & Pragam tranſtulerit brachium ſancti Viti, leges apud Surium in eius vitâ.(g)

(g) 28. Sept.

Sed & nouella Eccleſia Paderbornenſis in Saxonia adhuc lacte indigens, miraculorum gratia mirum in modum illuſtratur, ex facta hoc item D.CCC. XXXVI. anno, translatione ſacri corporis(h)S.Liborij Epiſcopi Cenomanẽſis in ipſam, quod per Legatos ab Epiſcopo, & Ciuitate impetrarat. Extat ad hunc diem libellus de translatione, & miraculis ab eo conſcriptus Presbytero, qui miſſus expetijt reliquias, detulit, & miraculorum ſpectator fuit. *Theoduuini tempore*, ſcilicet anno M.LVI. inquiunt geſta Abbatum S.Laurentij, *Eccleſia ſancti Iacobi Leodienſis brachio S.Iacobi maioris, cum reliquijs S.Bartholomæi Apoſtoli, Sebaſtiani, & Pancratij martyrum meruit ditari, miſſo ad Galeciam fratre Roberto eiuſdem monaſterij monacho.*

(h) *Apud Suri 23. Iulij. Crāz. lib. 1. hiſt. Sax. cap. 28.*

Miracula in translatione S. Liborij.

Reliquiæ SS. Iacobi, Bartholomæi, Sebaſtiani, & Pancratij.

Capvt X.

DE SANCTI BARTHOLOMAEI RELIQVIIS.

VEnerandis S.Bartholomæi Apoſtoli Reliquijs inprimis illuſtrata fuit Daras ciuitas in finibus

S. Bartholomæi Reliquiæ Dara.

(a)*Lib.2. Collectan.* Perfidis, vt ſcribit Theodorus Lector, (a) & Nicephorus. (b) De eius ampliſsimo (b)*lib.16.c.37.* templo illic erecto à Iuſtiniano Impera- (c)*Lib. 2. ædifi. Iuſtin.* tore meminit Procopius. (c) *Eius ſacrum corpus*, vt loquitur Martyrologium Ro- *Lipara.* manum, *primò ad Liparam-inſulam tranſlatum eſt*; de qua translatione, agit Gre- (d)*De gloria Mart. c.34.* gorius Turonenſis. (d)

Facta eſt autem alia poſtmodū tranſ- *Beneuenti.* latio Beneuentum ex prædicta Inſula Liparitana, anno Domini D. CCC. XXXII. ſub Sicardo Principe Beneuen- (e)*In Chron.* tano: de qua Sigebertus, (e) his verbis: *Sarraceni Siciliam incurſantes, etiam Liparim Inſulam deuaſtant, vbi corpus Bartholomæi Apoſtoli quieſcebat, quod olim loculo plumbato iniectum, & in mare merſum à Paganis non ferentibus illud, propter nimiam ſignorum claritatem ab omnibus venerari, ab India vſque ad hanc inſulam vltrò delatum fuerat. Cuius oſſa modò à Sarracenis huc illuc diſperſa, à quodam Monacho, ipſo reuelante, collecta, Beneuentum transferuntur.* Eandem tamen Translationem Leo Oſtienſis anno D.CCC. XL. factam ſcri- (f)*Lib 1. c.26. Chron. Caſsin.* bit. (f)

Rurſus autem ſub Othone Secundo Imperatore Romam delatum eſt corpus

eius

eius, vt Otho Frisingensis testatur: (g) *Tradunt de Othone Romani, quod capto Beneuento, beati Apostoli Bartholomæi ossa, inde asportauit, ac Romæ in Lycaonia insula in tumba Porphyretica ea collocauit, in terramque suam per Tiberim & mare in præfato sarcophago deportare cogitauit: sed eo tamen breui vita exempto, pretiosum thesaurum ibidem remansisse.* Hæc Otho. Factum id esse constat anno Domini CM.LXXXIII. eiusdem autem Imperatoris vndecimo, quo ex hac vita migrauit. (g) *Lib. 6. c. 25.* *Roma.*

Anno dein millesimo, Otto Tertius Imp. ex Polonia quo pietatis ergò fuerat peregrinatus ad sacra pignora S. Adalberti Martyris, Romam reuersus, manus eius auferens, auro & gemmis mirificè exornatas, in Ecclesia à se fabricata, eius dicata nomini, inter duos pontes honorificentissimè collocauit, & alia plura SS. Martyrum corpora diligenter conquisita illuc transtulit, & inter cætera corpus S. Bartholomæi Apostoli, & S. Paulini Nolani Confessoris, de qua re Robertus, qui ad Sigebertum adiecit appendicem. 1157. sic ait. *Circa hoc tempus inundatione Tiberis facta non modica, Romæ in quadam insula eiusdem fluminis, in Eccle-*

ſia antiqua inuentũ eſt in quodam ſarcophago corpus B. Bartholomæi Apoſtoli totum integrum, excepto corio, quod remanſit Beneuenti, quando Otto Imp. capta eadem ciuitate, corpus prædicti Apoſtoli tranſtulit Romam, ſicut tabulæ areæ demonſtrant ſcriptæ Græcis literis & Latinis, quæ repertæ fuerũt in corpore Apoſtoli. Repertum eſt in eadem Eccleſiâ corpus beati Paulini Nolani Epiſcopi. Factum eſt autem, vt illatione corporis ſancti Bartholomæi in Eccleſiam, ſub titulo Adelberti martyris incboatam, tranſierit ipſa in nomen, & cultum eiuſdem Apoſtoli, memoriaq́ Adelberti hoc modo fuerit paulatim obliuione deleta. Reſtituit eam Paſchalis II. poſt 113. annos, cuius inſcriptio notat tempus & corpora SS. Bartholomæi & Paulini. Moguntiæ monſtratur vnus è cultris, quibus decoriatus fuit S. Bartholomæus, teſte Serario.(h)

(h) Mog. Rer. lib. 1. cap. 17.

CA-

CAPVT XI.

DE INVENTIONE ET TRANSLATIONE S. MAVri Abbatis.

VEnerandum corpus ſancti Mauri Abbatis diſcipuli ſancti Benedicti, ex quo monachiſmus noſtri Ordinis, in Gallijs mirificè propagatus eſt, quaſi per reuelationem inuentum tranſlatúmque eſt, anno D.CCC.XLV. monaſteriorum fundatoris, exurgente vindice Deo, de ſoluta monaſtica diſciplina, & laicis Monaſteria inuadentibus. Rei geſtæ hiſtoriam Odo ſcripſit, qui hoc ſeculo vixit. Qui primùm quomodo vltus ſit idem ſanctus Guidulphum Rauennatem, qui acceptum à Rege Francorum Foſſatenſe Monaſterium, ipſum eiectis monachis, ſolo æquatum, ac profanum redditum, vſurpauerat, hanc memoratu dignam texit hiſtoriam, cui in conuiuio procaciter iactanti, quæ impiè fecerat, in contemptum Monachorum, viſus ſuper menſam aſtare beatus Maurus ferulam manugeſtans, qua illum validè in capite, & ventrem calce, forti conamine, percuſsit, qui illicò amens effectus, inclamare cœpit; Maure tu me interficis. Cumque hæc, & alia cunctis qui aderant, audientibus, frequenter repe-

Vltio diuina in euerſionem Monaſterij S. Mauri.

teret, effusis intestinis, infelicem finiuit vitam. Addit post hæc de vsurpatione eorum bonorum à Comite Andegauensi, & alijs; prætereà de restauratione Monasterij, diuino monitu, facta per Rorigonem religiosissimum Comitem; deniq; de Præfectura eiusdem Monasterij collata à Carolo filio Ludouici, Ganzelino; deque sancti Mauri corporis translatione ab ipso facta. Qua eadem die reliquiæ Protomartyris Stephani, quæ à Bertulpho Abbate tempore Lotharij Regis, iuxta eiusdem B. Mauri corpus reconditæ fuerant, intactæ repertæ sunt.

Beati quoque Petri patrocinia ibidem sunt reperta : quæ non alia putandum est fuisse, quàm VELA, à sancto Gregorio BRANDEA appellata, siue SANCTVARIA, quæ ad primum vel secundum foramen confessionis beati Petri Apostolorum Principis demissa, tactu eius sepulchri ad curanda mala omnia virtutem acciperent, vt suprà (a) visum est.

(a) Lib. 1. c. 2.

Cochlear eiusdem S. Abbatis honorificè inter Reliquias asseruatur in perillustri nostri Ord. Monasterio in Sueuia OCHSENHAVSEN dicto.

CA-

CAPVT XII.

RVRSVM ALIAE SAECVLI PRAEDICTI TRANSlationes.

SAnctam Helenam M. Constantini matrem Romæ diem obijsse, ibique sepulchro conditam tradit Nicephorus,(a) & Suidas.(b) Anno verò Christi D.CCC.XLIX. ab Ecclesia SS.Martyrum Petri & Marcellini, eleuatum eius corpus per Theagisium Monachum fuisse translatum in Gallias, & in diœcesi Rhemensi collocatum, auctor est Sigebertus in Chronico. Sed de eius corpore inter Latinos & Græcos antiqua est controuersia, vbi sepultum fuerit. Veneti insuper illud ab Oriente delatum, possidere gloriantur, quod & digno cultu prosequuntur.

(a) Lib.8.c.3.
(b) Verbo Vestales.

De corpore S. Helenæ.

Leone IV. Pontifice tradunt rerum Saxonicarum Scriptores (c) quemdam VValbertum, nobilissimum Saxonem, Christiana pietate feruentissimum, Romam iuisse religionis gratia, atque petijsse ab eodem Leone Summo Pont. corpus S. Alexandri Martyris, qui fuit vnus ex filijs S. Felicitatis, accepisseque ab eo, atque in Saxoniam deportasse, illicque in collegio à patre suo VVigberto inchoato collocasse, digneque coluisse.

(c) Crantz. Metrop. Sax. lib. 2. c. 27.

S. Alexandri Martyris.

Tra-

S.VVilehadi. Tradunt Saxoniæ Scriptores, item de translatione corporis S.VVillehadi ex oratorio in matricem Ecclesiam S.Petri, cuius ipse vitam, qui transtulit (nempè S.Rembertus) & miracula singulis libris comprehendit. Hoc ipsum est tempus quo in Saxonia translatio memorati S. Alexandri contigit, in qua illud mirabile videtur, *Confessorem nostrum* (inquit auctor) *cum aduena certasse, quis eorum videretur esse maior, & in gratia sanitatum populis acceptior.* Eginhardus in gestis Saxonum, hæc dulci calamo prosequitur.

SS.Eusebij & Pontiani. Ad annum D.CCC.LXV notat Sigebertus in Chronico, Nicolao Papa annuente, in Gallias translata fuisse corpora SS. Eusebij & Pontiani, qui Romæ sub Commodo Imp. passi sunt.

S.Germani corpus delatum in Gallias. Sequenti item anno Ludouicus Imp. celebri victoria de Sarracenis relata, qui Beneuentanã regionem inuaserant, omnia cædibus, rapinis, incendijs vastantes: post B.Benedicto piè culto, & eius Monasterio duobus fundis donato, & confirmatis antiquis donationibus, cum apud illud Monasterium fermè annum commoratus esset, corpus S.Germani Episcopi, inde sublatum in Galliam detulit; teste Leone Ostiensi. (d)

(d) Lib.1.c. 37.38.

Rhegino tamen ita rem narrat. *Interea*

tereà Ludouicus pro Capua recuperanda, quam occupauerant Græci, ſolicitus, illuc exercitum ducit, quem vt Ciues placatum redderent, ipſi obuiam, tanquam nuncium pacis, miſerunt corpus S.Germani ipſorum Epiſcopi, cuius occurſu mitior factus Ciues expulſis Græcis recepit in gratiam, & ſic reuerſus eſt Beneuentum.

Supradicto item Nicolao Pontifice adhuc ſedente anno Chriſti D. CCC. LXVII. qui eiuſdem vltimus numeratur, contigit per SS. viros Cyrillum atque Methodium Orientales Monachos deferri Cherſona Romam corpus S.Clementis Papæ, & in baſilica S.Clementis recondi, de quo narratio extat ex Leone Oſtienſi, in Chronico Caſsinenſi. *S.Clementis corpus Romā refertur.*

Verum, *de S.Clementis tranſlatione firmius teſtimonium illud putamus*, inquit Card. Baronius, *quod ex epiſtola Anaſtaſij Bibliothecarij ad Carolum Regem accipitur, data Kalendis Aprilis Indict. octaua; vbi hæc verba: Vir magnus & Apoſtolicæ vitæ præceptor Conſtantinus Philoſophus Romam ſub venerabilis memoriæ Hadriano Iuniore Papa venit, S.Clementis corpus ſedi ſuæ reſtituit.* Hæc Anaſtaſius oculatus teſtis. *(c) In not. Martyr. 23. Nou.*

Tradunt pariter Hiſpaniæ Scriptores, ſæde-

fædere icto inter Alfonſum Regem Gallæciæ, & Regem Arabum Cordubæ regnantem Mahomad, ad Sexennium, per Dulcitium Toletanum presbyterum, anno Chriſti D. CCC. LXXXIV. factam eſſe tranſlationem corporum SS. Martyrum Eulogij atque Leocritiæ qui Cordubæ Martyrium ſubierant, Ouetum, quorum in ſanandis ægris virtus miraculorum eluxit.

SS. Eulogij & Leocritia.

Rurſum anno Chriſti D. CCC. LXXXVI. die XVII. Ian. 4. Indict. primo nondum expleto anno Pontificatus Stephani ſexti, facta eſt ab eodem Pont. admiranda inuentio, & ſolemnis tranſlatio corporum SS. Martyrum Diodori, Mariani, & aliorum plurimorum Martyrum, ex cœmeterio viæ Salariæ in vrbem. Hi enim Martyres cum olim conueniſſent ad venerationem Chryſanti & Dariæ recentium Martyrum frequenti cœtu, occluſa à Gentilibus per parietem ianua, ipſi quoque pari Martyrij corona decorari meruerunt, ſub Stephano primo Romano Pont. Cumque ad præſentem annum eorum ſacræ reliquiæ latuiſſent, DEI prouidentia factum eſt, vt eædem diuinitus reuelatæ fuerint huic Stephano Papæ, cuius diligentia effoſſæ & erutæ, ſolenni pompâ tranſlatæ ſunt

SS. Mart. Diodori &c. inuentio & translatio.

tæ ſunt in vrbem, & per diuerſas Eccleſias honorificentiſsimè conditæ. (f)

(f) *Apud Surium 17. Ian.*

CAPVT XIII.

DE S. DIONYSII AREOPAGITAE RELIQVIIS.

S. Dionyſii Reliquiæ in Saxoniam.

ANNO CM.XX. Carolus Francorum Rex, cognomento Simplex, Legationem miſit ad Henricum Saxonem Germaniæ Regem, & cum ea ſancti Dionyſij ſacra pignora, tanto munere illud liberè profeſſus vnà cum SS. MM. venerandis reliquijs transferri è Francis in Saxones Regnum pariter atq; reliqua omnia bona, idque haud vanè iactari, ſed experimento iam eſſe perſpicuè demonſtratum, nimirum ex tranſlatione ſancti Viti Martyris ex Gallia in Saxoniam facta, cum eo ſimul ad Saxones Francorum gloriam commigraſſe. Lege VVitichindum ſæculi huius ſcriptorem; qui poſthæc, ſubdit propagationem Regni per Henricum factam in exteras nationes, redditis ſibi tributarijs Abotretis, Vulcis, Haiellis, Dalamancis, Bohemis, atque Redarijs, præter Alemannos & Bajoarios, quorum Reges in deditionem accepiſſe idem ſuperius teſtatur Auctor.

Eadem Ratiſbonam tranſlata.

Quicquid id ſit, non vana eſt traditio, Arnulphum Imperatorem Reliquias S. Dio-

Dionyſij Areopagitæ, Epiſcopi Athenarum, & Pariſienſium in Gallia Apoſtoli, Martyris, & Hierarchici Doctoris celeberrimi, vnà cum pretioſiſsimo Euangeliorum Codice, quem Carolus Rex Franciæ, poſteà Imperator dictus Caluus, fieri iuſſerat, ad Monaſterium S. Emmerammi Ratisbonæ tranſtuliſſe, Anno D. CCCCC. pridie Kal. Decembris.

S. Leonis IX. Papæ auctoritate confirmata.

Nam cum poſteà anno M. CIII. veniſſet in Germaniam Leo IX. Pontifex M. rogatu Andreæ regis Hungariæ ad componendam pacem inter Imperatorem Henricum & ipſum, ſimulque ad petendum militem & auxilia contra Nortmannos, qui prouinciam pontificiam vexabant. Sub eam occaſionem dum Ratiſponæ, Pontifex cum Henrico moratur, declarat publica auctoritate tabularum (quæ hodie leguntur, & ſubſcribi poſſent, niſi apud Baronium extarent) ſeruari Ratiſponæ S. Dionyſij corpus, furto per Arnulphum Imperatorem Pariſijs olim ſublatum, indeque Ratiſponam deportatum.

Sed contra Rigordus hiſtoricus gente Gallus, qui ſub Philippo Ludouici F. ſcripſit, exertè obnititur, docetque S. Dionyſij ſacra pignora cuſtodiri Lutetiæ, nec vnquam fuiſſe inde ſublata, literas eſſe confictas à Boijs; quod mihi procul

cul à verâ videtur ratione abeſſe. Quæ enim cauſſa Boios adegiſſet literarum excogitandarum, ſi Dionyſio caruiſſent? aut quorſum illa opinio gentem inuaſiſſet, ſi non Imperator ipſe Arnulphus corpus in Bauariam tranſtuliſſet? an vt vmbram Dionyſij, vel cærula cœli adorarent?

Præterea diploma Leonis pro Boijs, vt ipſe Baronius affirmat, in veteribus pontificum Romanorum ſcriptis repertum ex Antonio Auguſtino poſſet hic collocari, niſi apud Baronium legeretur. Quid ergò Boios de literis confictis accuſant?

CAPVT XIV.

DE S. PETRI APOSTOLI RELIQVIIS.

QVanquam de S. Petri reliquijs primo huius libri capite egerimus, tamen cùm eadem hoc ſeculo nouis cœperint fulgere miraculis, hîc ſpecialiùs eas deſcribendas exiſtimauimus.

Sanè catenas illas, quibus D. Petrus Ieroſolymis vinctus fuit, Eudocia Theodoſij iunioris vxor, (non Eudoxia Arcadij, vt quidam ſcripſêre) cùm iterum obiret religionis cauſâ, pia Ieroſolymorum loca, âb Epiſcopo Iuuenale dono acceperat, anno Chriſti CDXXXVI. vel CDXXXVII, alteram Conſtantinopoli collocauit *Catenæ D. Petri Romam delatæ.*

(a) Vt est in orat. de Vinc. Petri ap. Sur. to. 4. quæ est aut Procli, aut Germani, sed non Chrysosto. quia nõdum eius tẽpore fuerant inuenta.

(b) Vt est in actis Alexandri Papæ.

Limatura catenæ pro magno munere missæ Principibus.

(c) Lib. 5. Ep. 6. Lib. 6. Ep 23. Lib. 1. Ep. 25. 29. 30. Lib 2 ep. 47. Lib. 11. ep. 49.

(d) Tom. 7. Annal.

(e) Tom. 5. Annal. & in Notis Martyrol. 1. Aug.

(f) Ioan. 18.

(g) Medit. 52.

in Templo S. Petri, (a) alteram misit in vrbem ad filiam Eudoxiam Augustam Imperatoris Valentiniani vxorem. Hæc munus id sacrum in Basilica reposuit montis Esquilini anno CCCCXXXVIII. vbi prætereà mirabiliter catena, quæ Petrum Romæ in Mamertino strinxerat, hactenùs piè custodita (b) (quam Balbina virgo Romana Alexandro Papa hortante conquisitam diligenter, inuenerat) coaluit aptissimè cum Ierosolymitanâ, perinde ac si gemina, & omninò par foret.

Tanti pretij æstimatæ sunt hæ catenæ multis coruscantes miraculis, eo præsertim, quod Breuiarium Romanum recenset, atq; Sigebertus in Chronico anni D.CCCC.LXIX. vt pro ingenti munere limaturæ mitterentur aureâ claue inclusæ primarijs viris de Dei Ecclesiâ benè meritis, â Romano Pontifice, quemadmodum constat non ex pluribus dumtaxat Epistolis Gregorij, (c) verum etiam ex ijs, quas ante illum conscripserunt inuicem Iustinianus V. C. posteà Imperator, & Hormisdas Papa. Recitantur Epistolæ istæ à Baronio, (d) qui de toto quoq; hoc argumento diligenter tractat. (e)

Gladium S. Petri, quo is Malcho auriculam dexteram abscidit, vt habetur in historiâ Euãgelicâ, (f) Bambergæ asseruari tradit P. Christophorus Veruchinus, (g) quem

(g) quem ex Constantinopoli illuc allatum credere possumus, nam in oratione de Vinculis S. Petri, (h) mentio habetur de eiusdem gladio, in Basilica S. Petri Constantinopoli custodito, & magno honore habito, ex quo plurima scaturire soleant miracula; ac demùm hæc subduntur.

(h) Apud Sur. 1. Aug.

De gladio S. Petri.

Etsi in vetere vrbe Roma S. Petrus diuersatur per corporis sepulturam, quam vrbs illa sortita est: non tamen à nobis ipsis abesse vult quod pertinet ad illius GLADIVM *&* CATENAM. *Adest enim apud nos, qui partem hanc vt corpus continentes, ab eius coniunctione non separamur: sed cùm vna eademq́; sit gratia, quæ per eius corpus, catenas, vestes &* GLADIVM *miracula operatur,* &c. vbi ad postremum ad ipsum S. Petrum orationem cõuertens: *Omnium*, inquit, *est maximè pium, vt fidelißimum Imperatorem nostrum pro telis militarib. his eatenus armes, munias, custodias, victoriis & trophæis corones, hostibus terribilem, & subiectis benignum atq; optabilem facias, vt pace fruentes sub eius regno simus, &c.*

Deus etiam nomen PETRI ita celebre fecit, vt & eius barbæ pilos, qui sunt excrementa corporis, maximâ voluerit præstare virtute, & fulgere miraculis.

S. Petri barba pili miraculis clari.

Nam anno nongentesimo vigesimo secundo, vt scribit Frodoardus, (i) in pago Parisiaco in villa quæ dicitur Gesedis, multa miracula in Ecclesia S. Petri à quarto superiore anno, ex quo scilicet reliquæ de barba ipsius Apostoli illuc sunt relatæ, facta memorantur: ita vt inter cæcos, & claudos vel contractos, amplius quàm centum septuaginta sanitate donati referãtur, dæmoniaci verò quotquot illuc abierant, sano sensu pulsis dæmonibus redierint, præter alia innumerabilia, quæ ibi sunt acta.

(i) De reb. sui temp.

S. Petri baculus Coloniæ.

De baculo S. Petri Coloniã delato, refert quædam Rogerus in vita S. Brunonis Archiepiscopi Coloniensis. (k) Reseruatur in monasterio, vbi corpore requiescit B. Seruatius, clauis illa, quam ab Aposto Petro accepit, dum oraret apud Deum pro imminẽti excidio Galliarum; quæ huius virtutis esse dignoscitur, vt si aliquando soricum pestis, aut tale aliquod agros inuaserit, ipsa per agros deportata omnem huiusmodi putredinem funditus extinguat. (l)

(k) Cap. 26.

(l) De gest. Episc. Tungrens. c. 28. In S. Seruatio.

C A-

CAPVT XV.

ALIAE QVAEDAM CELEBRIORES TRANSLATIONES referuntur.

ANno reparatæ ſalutis CMXLVI. apud Nouiomum in Gallia reperitur, & eleuatur venerandum corpus S. Hunegundis Virginis, quæ egregia claruerat ſanctitate, ſub S. Eligio, eiuſdem ciuitatis Epiſcopo, ex diuina facta reuelatione Bertæ ſanctimoniali, egregiæ ſanctitatis. Quo ſpatio multa illic diuinitus ſunt declarata miracula, atque ingens ſplendor perpetuo ad S. corpus permanſit, ita vt à pectore virginis, & ſurſum, pro ſordibus pulueris nitentia relucerent fragmina margaritarum: & quibuſdam clariſsimis erumpentibus ſcintillis, aſpicientium reuerberarentur obtutus, tanta etiam ibidem ſentiebatur odoris fragrantia, vt omnium nares ineffabili ſatietate complerentur. Quicunque autem ad ſacrum illud corpus intueri poterant, quocunque eſſent affecti morbo illico curabantur. *Ex eius temporis auctoris narratione deſcripta.* *In inuent. S. Hunegundis plura miracula.*

Poſthæc annò DCCCCLIV. Corpus S. Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ, quod primum apud AEthiopiam, vbi paſſus eſt, poſtmodum verò apud Britanniam *Translatio corp. S. Matth. Salernum.*

 (alias

(alias Bithyniam) per multa tempora quieuerat, eiusdem S. Euangelistæ reuelatione repertum, atque Salernum translatum, ibidem in Ecclesia eius nomine dedicata, summo honore conditum fuit. Extat de ea Gregorij Papæ Septimi epistola ad Alfanum Episcopum Salernitanum, in qua primum illi gratulatur de inuento sacro Apostoli corpore, monetque vt digno honore sacras reliquias prosequatur, agatq; cum Roberto Principe, & eius coniuge, vt pia religione colant sacra pignora. Constat autem eundem Robertum peramplam basilicam eidem S. Apostolo erexisse, vt scribit Leo Ostiensis. (a)

(a) Lib. 2. c. 5. & lib. 3. c. 44.

Translatio corporis SS. Mauritij & Soc. Magdeburgum.

Rursum anno Christi DCCCCLXI. ab Othone Rege translatum fuisse Magdeburgum corpus S. Mauritij Ducis Thebeorum Legionis, & aliorum quorundam suorum sociorum, illicq; decenti honore eosdem Martyres cultos esse, testatur Ditmarus huius temporis scriptor. (b)

(b) Lib. 2. Chron.

Otto Imp. multa corpora SS. defert in Saxoniam.

Idem Otho Imp. anno DCCCCLXV. constitutis Italiæ rebus reuersus in Saxoniam multa corpora Sanctorum secum delata, in Ecclesia Magdeburgensi recens erecta collocauit.

De SS. Magorũ corporibus.

Quomodo trium SS. Magorum siue Regum corpora Coloniam translata sint,

hisce

hisce narrat Robertus de monte in appendice ad Chronicon Sigeberti. *Eodem anno*, scilicet M.C.LVIII. *inuenta sunt trium Magorum corpora, qui Saluatorem nostrum infantem adorauerunt in Bethlehem, in quadam veteri capella, iuxta vrbem Mediolanum, & præ timore Frederici Imperatoris Alemannorum, qui eandem vrbem veniebat obsidere, eleuata, & in ciuitate posita.* De his quoque sic VVernerus in fasciculo temporum. *Corpora SS. trium Regum hoc tempore transferuntur de Mediolano ad Coloniam Agrippinam per venerabilem Rainaldum Archiepiscopum Coloniensem. Fuerunt namque, hæc corpora sacratissima per Helenam Constantini matrem rapta, & de Iudæâ ad Constantinopolim perducta: quæ posteà Eustorgius Episcopus Mediolanum transtulit: vbi vsque ad hæc tempora permanserunt. Sed cùm Fredericus Imperator quasi cum innumerabili Alemannorum exercitu Mediolanum obsedisset, & tandem cepisset, prædictus Archiepiscopus qui tunc in comitatu Imperatoris erat, eadem corpora vix magnis precibus impetrauit, & Coloniam perduxit, &c. & ex tunc Colonia floruit.* Instituit verò idem Reinaldus in diœcesi Colonien- *Festum trium Regum.*

 si agi

ſi agi feſtum tranſlationis eorundem, legans ad hoc decem marchas ſingulis annis.

Temporibus deinde Domini Philippi Archiepiſcopi, qui ſucceſsit Rainaldo, fabricata eſt capſa miræ pulchritudinis ex auro & gemmis pretioſis, in qua repoſita ſunt corpora eorum, inferius quidem Regum, ſuperius SS. Felicis & Naboris Martyrum. Porrò cum corpora eorum leuarentur de locellis ſuis, tanta fuit fragrantia, vt omnes qui aderant, eius ſuauitate reficerentur. Singula corpora ſingulos dederunt odores, differebatque odor ab odore, vt merito dicere poſſent

2. *Cor.* 2. iſtud Apoſtolicum: *Chriſti bonus odor ſumus in omni loco.* Adhuc eorum, vt fertur, integra perdurant corpora pellibus ſuis & neruis cohærentia, eiſdem veſtibus inuoluti, in quibus cum myrrha & aromatibus fuerant ſepulti, vt ſcribit AEgidius de aurea valle *in geſtis Pont. Leod. c.* 45.

Aliæ prætereà translationes in Romano Martyrologio celebres habētur, quas pluribus enarrare operæ pretium non eſt viſum, cum prædictæ ſufficere inſtituto noſtro poſsint, indicium tamen facere

S. Dominici. voluimus; vtpote S. Dominici Confeſſoris, facta anno Domini MCCXXXIII. Gregorio IX. Rom. Pont. de qua D. Antoninus, (c) & qui ſcripſerunt eius Acta.

(c) 3. *part. tit.* 9. *c.* 4.

Simi-

Similiter S. Francisci, facta tempore eiusdem Pontificis, de qua S. Bonauentura, (d) & Marcus Vlyssiponensis (e) meminerunt. *S. Francisci.* *(d) In Vita cap. 15.* *(e) Lib. 2. c. 75.*

Idem Martyrologium: (f) *Verulis in Hernicis Translatio S. Mariæ Iacobi, cuius sacrum corpus plurimis miraculis illustratur.* *(f) 25. Maij.* *S. Mariæ Iacobi.*

Rursum (g) *Romæ translatio corporis S. Monicæ matris B. Augustini Episcopi, quod ex Ostiis Tiberinis Martino Quinto Summo Pontifice in Vrbem delatum, in Ecclesia eiusdem B. Augustini honorificè reconditum fuit.* Facta est hæc translatio anno Domini MCDXXX. *(g) 9. Aprilis.* *S. Monicæ.*

Iterum: (h) *Romæ Translatio S. Gregorij Nazianzeni: cuius sacrum corpus è Constantinopoli ad Vrbem antea delatum, atque in Ecclesia* DEI *Genitricis ad campum Martium diu asseruatum, Gregorius XIII. Pont. Max. in Capellam à se in basilica S. Petri magnificentissimè exornatam summa celebritate transtulit, ac postridie sub altari digno honore condidit.* Vbi in Notis hæc Card. Baronius addidit. Primam eius translationem Constantinopoli Romam factam, firma certaq; traditione didicimus, eam ob caussam, quod grassantibus barbaris in eas regiones, sanctimoniales fœminæ, in quarum Ecclesia tantus thesaurus erat *(h) 11. Iunij.* *S. Gregorij Nazianzeni.*

conditus, fuga suæ pudicitiæ consulentes, acceptum venerandum corpus, impositumq; nauigio, ad tutum pietatis asylum, Romam confugientes, detulerunt, atque in templo S.Mariæ in Campo Martio sibi ab Apostolica Sede concesso, condiderunt, ibique in adiacente domo, in qua habitabant, more patrio diuinas laudes per dies singulos persoluebant: quibus iam vita functis, cessit locus Romanis virginibus, quæ ibidem non sub regula S.Basilij (vt illæ olim) sed sub institutis S.Benedicti hactenus perseuerant. Eadem etiam exigente necessitate, aliæ sanctimoniales ex Oriente profugæ, deferentes & ipsæ secum Ecclesiæ suæ sacra pignora, reliquias venerandas, & inter alias sacrum caput S Gregorij Armeni Episcopi, cum appulissent ad litus Campanum, à Neapolitanis honorificentissime exceptæ sunt, erectoq; templo, in honorem tanti Episcopi, ac monasterio superaddito, ibidem sancte pieque vixerunt: quibus succedentes Neapolitanæ virgines, vsque ad præsens sæculum sub habitu & regulis S.Basilij vixerunt, licet postmodum, cum Latinas sub Latinorum monachorum regulis monasticam vitam colere congruere magis esset visum, & ipsæ se S.Benedicti regulis subdiderint Hæc autem, Neapoli

cum

cum essem, ex antiquis eiusdem Ecclesiæ monumentis didici.

Sed vt ad nostri Gregorij Theologi translationem redeamus: sicut illa prima translatio ob fugam celerem fuit subobscura; ita secunda, de qua 11. Iunij solemnis memoria agitur, clarissima planè extitit ac celeberrima. Merui, licet indignus, tanti Patris, quem præcipuè veneror, triumphum hisce oculis cominus intueri: cum amplissimæ gloriæ causam mente reuoluens, Ecce tibi (mecum dicebam) Sol Orientis, Occasum nesciens, nebulis & densa caligine inuidorum obfusus aliquando, quibus modò coruscat fulgoris radijs; En sacer vertex Orientalis Ecclesiæ, fortissimus fidei propugnator & propagator, qui collapsam penitus Constantinopoli Catholicam fidem restituit, auxit, in tutoque collocauit: victisque ac profligatis gladio verbi hæreticorum turmis, vrgente vehementi Catholicorum ex inuidia concitata procella, vt paci Ecclesiæ vniuersalis consuleret, non quæ sua sunt, quærens, cessit sedi, & recessit inglorius. Sed quid tandem? Ecce pro Byzantio Deus rependit Romam, pro noua antiquam, pro illa exigua Anastasia augustissimam Basilicam Vaticanam, vrbis ornamentum, orbis miraculum, pro tenui denique sepulchro

for-

fornicem triumphalem, amplissimum (inquam) Sacellum, quod in honorem sui Gregorij Gregorius noster Pontifex construxit, magnificentissimeque exornauit atque illustrauit. Non est meæ facultatis, nec præsentis instituti, mirificum illud opus describere; cum præsertim eruditi complures viri, ac præcipuè noster D. Laurentius Frizolus, poëticis literis benè excultus, præclaro poëmate id egregiè præstiterit. Translationis historiam nobili commentario testatam reliquit R. D. Franciscus Morantius Magister cærimoniarum. Hactenus D. Baronius. Sed & Robertus Turnerus Anglus olim Professor Ingolstadiensis eundem triumphum perquam eleganter soluta oratione descripsit.

CAPVT XVI.

MEMORATV DIGNA SS. QVI IN D. IVSTINAE PATAuinæ requiescunt.

NEqueo mihi temperare, quin adhuc insignem & gloriosam sanctorum quorundam translationem referam, verbis, vti à D. Iacobo Cauatio, describitur. (a) Cum D. Peregrinus Abbas D. Iustinæ, ad transferenda de veteri templo corpora Sanctorum animum

(a) Hist. Patauin. lib. 6.

nimum appulisset, aras vnicuique in noua Ecclesia extruxit, & ingentes arcas ex vario marmore decreuit, quæ singulis imponerentur. Has Franciscus Surdus Patauinus sculpsit. Agebatur annus sexagesimus secundus post sesquimillesimũ, agente hic vices Francisci Pisani Cardinalis Episcopi Gerardo Busdrago Episcopo Argolicense, Prætore vrbis Aloysio Mocenico, & Hieronymo Ciconia Præfecto. Apud hos primum, deinde apud vrbis Decuriones Bonifacium Papisauium, & Franciscum Capiuacceum equites, Hieronymum Policastrium & Antonium Rusticam, Abbas de Sanctorum translatione agens, sensit eadem alacritate negotium accipi, quo inferebatur. De eadem apud sexdecim viros vrbis elocutus responsum tulit quod Patauina vrbs Sanctorum studiosissima ipsi multas gratias habitura esset, & translationis pompam non solùm frequentia, sed etiam ære publico iuuatura. Abbas sibi impensam assumpsit, frequentiam iterum postulauit. Quarto Nonas Martij cum Argolicensi conuenere vrbis magistratus vt ex altari arcas Sanctorum educerent. Abbas inter litandum Sanctos DEI orauit, vt quamuis eorum corpora peccatorum manibus educerentur, & pollutis oculis aspicerentur, tamen piam

arro-

arrogantiam benè verterent, ſupplicem vrbem expiarent, atque incolumem perpetuò vellent. Conſilium fuerat illico poſt ſacrificium aram diruere, ſed populi multitudo quæ confluxerat etiam clauſis foribus iniurioſa, impedimento erat. Suffocabantur penè homines ſtipati anguſto loco. Verùm ad ſubmouendum populum quidam Decurionum in vulgus diſſeminant, non eo die, ſed ſequenti extrahenda eſſe corpora Sanctorum. Ea ſpe tandem plebs dilabitur. Poſt veſperas Abbas reſumptis ſacris veſtibus, cum miniſtris qui Sanctorum laudes concinerent ad aram acceſsit. Dies erat æſtiuo ſimillimus cœlo ſereno, nulla ventorum, vel nubium iniuria, ſeu eorum ſuſpicione. Sed cum altare dirui cœpit, repente conglobatæ nubes, ac turbines ex ventorum repugnantia fæda tempeſtate diem inuerterunt. Videbatur ea aërearum poteſtatum, & hoſtium humani generis ira, aduerſus venerationem Sanctorum maximè excitata, nam proximæ feneſtræ cæteris magis grandine & caligine infeſtabantur, & eo acrius venti adſibilabant. Hoſtium furorem clarius agnouerunt aſtantes, cum diruto altari ſtatim ac reliquiæ Sanctorum patuère, venti ſiluerunt, & diſpalatæ actutum nubes priſtinam ſerenitatem reddide-

derunt. His non minimum aucta est pietas ac deuotio circumstantium. Arcæ post annos LX. adhuc retinebant incorrupta sigilla Petri Barocij Episcopi, Eusebij Abbatis, & Decurionum vrbis. Eædem apertæ perfuderunt præsentes & lachrimantes odore suauissimo, & humanis sensibus insueto. Ex proprijs altaribus item extractæ sunt arcæ Sanctorum Matthiæ & Lucæ, & cum cæteris delatæ in nouum templum, vt in sublimi ornatissimoq; tabulato conspici à fidelibus possent. Quatuordecim ibi dies manserunt, quibus è tota prouincia promiscua fidelium multitudo aduenit, vt ipsum etiam templum latè patens his angustum esset. Custodiæ Sanctorum corporum interdiu præerant vnus ex Decurionibus ac bini Cœnobitæ sacris induti. Noctu deuotionis ergo multi Monachorum ac ciuium aduigilabant. Miracula ac signa plurima acciderunt, quibus DEVS Sanctorum suorum merita ac preces quanti essent ostendit. Eadem decreto publico in tabulas relata sunt, ex quibus nonnulla describemus. Camilla Papisauia sacra virgo in monasterio S.Annæ, ex longa valetudine cæca, muta, & membris contracta, in templum nostrum carpento ducta est, vbi diu orans, oculorum, linguæ, ac membrorum

Miracula edita.

1.

2. rum omnium vſum recepit. Barbara Leonia, item ſacra virgo in monaſterio Beatorum Peregrini & Antonij, vitiatis inſtrumentis quibus vox edi ſolet, ita quadriennio ſiluerat, vt neque peccatorum confeſsionem præterquam nutu exprimeret. Igitur ad Sanctorum Reliquias accedens, diuque orans, innuit Sacerdotibus qui aderant linteati, vt fruſtulo accepto cranei B. Iuſtinæ, ſibi guttur in modum crucis obſignarent. Eo obſignato, ſenſit illico onerosam materiam inſtar fili in glomum coacti è faucibus in ſtomachum deſcendere, mox clara voce & multis lachrymis gratias Sanctis DEI perſoluit. Harum virginum ægritudines licet ciuibus apprimè claras, tamen ſpecialius teſtati ſunt Aloiſius Bellacatus & Marcus Oddus Phyſici inſignes, qui diù his medicum opus præſtiterant.

3. Ex pago Maceratæ claudus quidam ſeptennium fulcris inceſſerat, tunc Sanctorum ope implorata valens diſceſsit.

4. Adoleſcens quidam Saccenſis oppidi, contractam manum diu inutilem geſſerat, quam exorans Sanctos Dei liberam recepit.

5. Adoleſcentula ſeptennis cæca à natiuitate, orante fuſius matre, tenebras exuit.

Alte-

Altera, cuius genu affectum vlcere in- 6.
curabili Medici desperauerant, ad San-
ctorum loculos deportata, incolumis
abijt nulla tanti vlceris superstite cica-
trice vel signo.

Quædam ætate ac valetudine grauis, 7.
nunquam lectulo exurgens, cognatos
rogauit, vt votum à se nuncupatum præ-
sentes ipsi ad Sanctorum arcas curarent.
Hi Sanctos pro muliere deprecati, cum
domum redijssent, vetulam incolumem
reperiunt etiam redeuntibus cœnam pa-
rauisse. Interula quæ sacras Reliquias at- 8.
tigerat, leprosum illico emundauit.

Ad aspectum sanctarum reliquiarum 9.
strepebant Dæmones, & ex obsessis cor-
poribus exire compellebãtur, Arreptitij 10.
plurimi ex remotis etiam regionibus ad-
uecti, ab eorum infestatiõe liberati sunt.

Pridie Idus Martij maximo omnium *Translatio*
rerum apparatu, pietate, ac populi fre- *solennissima.*
quentia supplicatio insignis fuit. Quot in
vrbe sunt artificum collegia sub signis
præcesserũt. Religiosi viri singuli cereos
habentes subsecuti sunt. Monachi nostri
ex proximis Cœnobijs euocati affuere
trecenti: Ex his quidam sacris amicti
thensas Sanctorum extulerunt, quidam
Sanctorum laudes decantarunt, alij fu-
nalia detulerunt. Delecti erant ex colle-
gio Iurisperitorum qui super arcas vm-

 bel-

bellas gestarent; quas Patauini nobiles cum cereis ambiebant. Singulas musicorum chorus sequebatur, quorum partim ex ipsis Monachis, partim ex delectis vndiq; clericis extabant. Arca S. Lucæ Euangelistæ commissa est Collegio Medicorum, quorum patronus idem habetur. Arcam S. Iustinæ Decuriones vrbis quouis pietatis officio venerati sunt. Sequebantur Abbates duodecim sacris amicti, quibus Leuitæ viginti quatuor Thiaras & pontificales baculos præferebant. Extremus eorum incessit Peregrinus Abbas Congregationis Præses, cui officij gratia Patauinj proceres è prima nobilitate adambulabant. Claudebat ordinem *Clerus* totius vrbis cum insigni Collegio Canonicorum, mox Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum; quod Sacerdotum humeris efferebatur. Octo ex mansionarijs & custodibus delecti, aureis etiam vestibus amplissimo ministerio inseruiebant. Vmbellæ hastas gestarunt sex Iurisconsulti ceteris antiquiores, & cereos circumtulere totidem nobiles Patauini ex XVI. viris Succedebat his Episcopus Argolicensis, prætor ac præfectus vrbis, Gymnasiarchę, ac mista ciuium & aduenarum multitudo iñumerabilis. Eorum qui viæ circum sistebant, vel de tectis ac fenestris spectabant, XLM. censa nonnulli

S. Luca.

S. Iustina.

nulli scribunt, & multi hactenus referunt. Circa pratum Vallis supplicatio fuit rerum omnium ordine, concentu, ac deuotione spectanda. Ea dies apud Casinenses Patres perpetuo celebris remansit; Nos autem Dominicam Quadragesimæ Saluatoris passioni dicatam, qua Sanctorum translatio contigit, celebriorem habemus; & post vespertinam Synaxim cum Sanctorum reliquijs supplicantes quotannis templum circumimus. Charitatis & humilitatis exemplum nobis est ex ordine, quo tunc Sancta corpora träslata sunt; nam in supplicatione leguntur Medici incessisse medij inter Iurisconsultos, vt Lucæ Euangelistæ proprio patrono obsequium præstarent.

Eadem humilitas elucet ex Decurionibus; quibus publica dignitas extremum locum, siue conopæum dabat super Eucharistiam deferendum. Hi tamen senioribus Iurisperitis cessere vt Iustinam vrbis Patronam comitarentur. Abbates etiam Casinenses & ipse Congregationis Præses, quorum peculiaris res agebatur, quamuis Pontificali dignitate eminëtes, & Pontificalibus insignibus ornati incederent, vltro digniori loco, qui rite sibi debebatur, cesserũt, vt Iustinam Congregationis patronam subsequerentur. Itaq; charitas quæ nescit æmulari, vel

V 2 infla-

inflari, inanes horum temporum æmulationes deridet, quibus etiam laici, & infimæ sortis homines, aduersus clericos & cucullatos audent de loco digniori contendere.

Reliquiæ Sãctorum arcis marmoreis clausæ sunt, & his adiectæ plumbeæ tabulæ, quæ singulorum memorias docent.

CAPVT XVII.

SANCTI FRANCISCI XAVERII E SOCIETATE IESV Sinarum Apostoli translatio.

NE autem nostri tantum cœli & aëris homines in colendis SS. Reliquijs industrij esse videantur, ex altero penè orbe historiam ex elegantissimo Auctore Maffeio (a) huc adscribam: ea sic habet. Cùm anno Christi nati M.D.LII. IV. Nonas Decembris, è corpore discessisset sanctus Franciscus Xauerius; ea de re seriùs moniti Lusitani mærentes accurrunt: mirantur habitum quiescenti quàm mortuo propiorem: compositos artus; decoram faciem; ipsa denique pietatem adhuc spirantia lineamenta, dein rati id quod erat, indignum ac nefas, tanti Sacerdotis corpus, tamq; de Lusitano vel inprimis genere benemeri-

(a) Hist. Indic. lib. 15.

Obitus S. Francisci Xauerij.

meriti, nullo exsequiarum honore, desertis in locis & barbaro solo relinquere, cum ipsis vestimentis in arcam inclusum viua operiunt calce, quò celeriùs exesis acrimonia carnibus, nuda secum ossa deportent; ipsam dein arcam deserto & squalido quodam in eius Insulæ colle defodiunt. Post dies aliquot confectis negotijs ad sepulchrum vniuersi conueniunt; corpus diligenter inspiciunt, attrectantque non modò integrum, solidumq; , & aspectu iucundum inueniunt, sed etiam, quo magis obstupuêre, suauiter admodùm fragrans, læti suam de viri sanctitate opinionẽ comprobari diuinitus, in eadem viuæ calcis arca reconditũ, venerabundi omnes in nauẽ imponunt. Inde Malacam deuectum, prodeuntibus obuiam cum solemni pompa oppidanis, excipitur, & sua impensa funus procurante Didaco Fereria, qui nondum abierat, in ædem beatæ Virginis, vbi Collegium est hodie Societatis, defertur: iam tertius à morte agebatur mensis. Arcam Sacerdotes & amici rursus aperiunt: nihilominus incorruptum extrahunt mirabundi, ac Lusitanico more (haud dubio DEI nutu, quò liquidius postea de admirabili integritate constaret) terræ ipsi mandant nullo capsæ tabulæúe munimine, puluino duntaxat ceruici subiecto,

Eius corpus illæsum, & suauiter fragrans reperitur.

Etiam post tres menses.

Rursum post quinque.

iecto, & obtecta sudario facie. Quinque ipsos menses cùm in eo tumulo iacuisset, è socijs quidam missus ad Xauerium inuestigandum ab Goâ superuenit (quem nos deinde Romę hæc eadem ab alijs ante scripta memorantem audiuimus) is auiditate ac studio explorandi cernendique oculis quæ ferebat fama, sarcophagum detegit. Mirum dictu: puluinum ac sudarium purpureo cruore tinctum offendit, dum funeris administri terram superingerunt inculcantque inter sepeliendum expresso. Cæterum corpus totum planè illæsum, & eadem quæ ferebatur odoris suauitate: quin etiam (quod super omne miraculum fuit) vestimenta ipsa, crepidasq;, & extimum linteum, adeò recenti specie, vt illo ipso Melchior Nonnius in Iapone deinde, quemadmodum Diui Pauli Eremitæ palmea quondam tunica Diuus Antonius, ita ad celeberrimas quasque gratulationes & cœremonias vti consueuerit clarâ profectò ac testatâ sancti Patris virginitate ac sanctimonia (quanquam alijs quoque argumentis iam nota) quando neque calcis viuæ caustica vis, neque telluris humor ac situs, defuncti carnes aut amictum vlla ex parte labefactare valuerunt. Quo indignius visum omnibus vltrà in defosso haberi corpus, tanto tamq; honorifico

DEI

DEI munere custoditum. In ijs Didacus Pereria, memor amicitiæ ac meritorum, elegantiore materia formaque arcam aliam Damasceno serico subsuendam, aureo textili desuper obtegendam curauit, in eam translatum corpus idoneo loco ad vsque tempus Indicæ nauigationis est habitum, quo ipso tempore Indiam repetens Cosmi Turriani missu Petrus Alcaceua, Malacam ex Iapone delatus, impositum in onerariam sacrum thesaurum vnà cum altero de quo dicebam socio asportat, præsens vtique nauigantibus ac salutare præsidium: si quidem nauim, diffracto gubernaculo, vadis impactum aliquoties, præsenti illius ope, cuius vehebant exuuias, haud dubiè seruatam fuisse cùm alij tum Nauarchus ipse testatus est: idemque actuario Goam celeri cursu præueniens; rem totam Patribus nunciauit. Ex ijs quatuor cum totidem à catechesi pueris, biremi regia, tardiùs nauiganti onerariæ, ad Baticalam occurrunt, arcam denuò reserant sextodecimo iam ab obitu mense; æquè incorruptum corpus ac vestimenta, gaudio simul ac stupore attoniti deprehendunt. Arca iterum clausa in biremem eo quem dixi ornatu deponitur, nautæ sublatis vndequaque vexillis tormenta festo cum reboatu displodunt, eo die sub *Iterum mense decimo sexto.*

Goam transfertur. vesperam à Baticala ad Goam biremis rediјt, arca noctem vnam in ædicula Deiparæ Virginis custoditur, paſsibus ab vrbe mille quingentis. Poſtridiè manè confeſtim Prætor ac proceres, Canonicorum ac miſericordiæ ſodalitia, ingens prætereà oppidanorum vis, & Diui Pauli Collegium omne, corpori extra vrbem obuiam prodit. Reliqua multitudo ad ſpectaculum effuſa, parietes, feneſtras, plateas, ita cōpleuerat, vt in reditu ſummoueri vix poſſet. cum cereis candidati nonaginta præibant pueri, ſequebantur Clerus & Magiſtratus, ac Nobilium ordines: quacunque pium incedebat agmen, multa erant paſsim odoramenta diſpoſita. Feretri latus vtrunque thuribula ex argento affabrè facta cingebant: Diui Pauli templum quo inferebatur, cum per eos ipſos dies hebdomadæ ſacroſanctæ agerentur ſolemnia, nihilominus albo periſtromate conueſtitum: cuncta ſobriam ad hilaritatem lætitiamque compoſita. Hoc maximè modo, corpus acceptum, & ſtatim in Diui Pauli ſacello, tectum vti erat, magna cum veneratione repoſitum eſt. Ibi, quò minus tertium aperto iam loculo palam oſtenderetur, efflagitantibus pariter ſummis infimiſque negari non potuit: veruntamen ad introſpiciendum obiecti can-

cancelli; ne applicuisse rosaria, impressisse oscula virgineis carnibus, semel iterumque palpasse non satis habentes; insuper (quod apparebat futurum) in frusta, & præsegmina, cæterasque reliquias inuolarent. in eo sacello tres amplius dies ac noctes habitum summo ac perpetuo omnium ætatum, nationum, ordinumq; concursu.

Interea exacto fermè quatriduo, cum satis iam in aperto fuisse videretur, ab sociis arca iuxta maximam aram loco certo reponitur, & claustro munitur. Hactenus Maffeius.

CAPVT XVIII.

SS. AVGVSTANORVM VARIAE TRANSLATIONES.

DE exoticis SS. translationibus vbertim diximus, ad domesticas deueniendum est, ex quibus præcipuas tantum adscribemus. Vrbis Patronæ Diuæ Afræ corpus inuentum est anno Domini M L X I V. ab Embricone Episcopo, in lapideo miræ magnitudinis sarcophago, & depositum in loco, in quo adhuc cunctorum venerationi patet expositum. Circa illa tempora beatus Anno Coloniēsem regebat Archiepiscopatum, qui multis precibus à prædicto Embricone Augustano Episcopo contendebat,

S. Afræ corpus illa sum reperitur.

vt sibi aliquid reliquiarum de tanta Martyre impartiri dignaretur. Qui conuocatis Ecclesiarum Prælatis, & Fratribus Cœnobij S. Afræ ex eorum consensu & voluntate, venerabundus aperuit sarcophagum, in quo corpus eius integrum repertum, quodam candidissimo cæmēto obductum. Auferens ergo vnicum solummodo articulum pollicis in pede, teste clero & populo, sacrophagum clausit, sanctas vero reliquias Coloniam direxit.

Aliquot post annis Henricus Imperator, quem quartum dicunt, ab Hermanno Augustano Episcopo partem corporis S. Afræ expetijt, Ecclesiæ, quam Spiræ Nemetum condiderat, inferendam. Nemo dubitabat quin precibus eius, qui cogere posset, & vero etiam soleret, parendum esset; quam parcissimè tamen faciendum, existimabant omnes. Accedit igitur ad sepulchrum Martyris Episcopus; reserat loculum, illa qua par fuit religione, vnum ex pollice pedis aufert articulum. Hunc publicè prius ostēsum, magni muneris loco Imperatori transmittit. ciues interea, qui charissimo pignori timerent, Basilicam insedere frequentes, fores etiam armati obseruauere, ne plus quam constitutum erat, asportaretur. Eo tunc ardore in Deum, & in Sanctos, quos Dei amicos esse scirent, feréban-

rebantur: Vt res suas priuatim tanta diligentia nullus, quanta sacras reliquias publicè asseruarent vniuersi. Quod etiam priuatim, & publice bene vertit.

S. Vdalrici Episcopi; eiusdem loci Patroni præcipui & celeberrimi corpus inuentum est anno Domini MCLXXXIII. cum, quibusdam particulis pontificalium induuiarum, necdum vetustate consumptarum & in dextro latere ad caput pixis argẽtea admodum nitens in saccello holoserico, in qua (vt ferebatur) sanguis Domini, & alia sancta continebãtur. Adhæc, alia cistella satis magna & obserata, plena sanctorũ reliquijs. Noua dein Basilica constructâ, & ritu Ecclesiæ solenni consecrata, anno Domini MCLXXXVII. VIII. Idus Aprilis, arca, quâ sacra D. Vdalrici lipsana continebantur, ipsiusmet Imperatoris Friderici primi, ac trium Episcoporum humeris, honoris caussa elata fuit. *S. Vdalrici.*

Sacræ verò Diui Simperti Episcopi reliquiæ primum tanslatæ sunt año Domini MLXIV. cum alijs SS. Confessorum VVicterpi, Tossonis, & Adalberonis lipsanis, ad Australem Ecclesiæ partem, & ibidem honorifice reconditæ. *S. Simperti & aliorum Pontif.*

Dein maximo apparatu sunt translatæ, anno MCDXCII. IX. Cal Maij, tertia Paschæ feria, quem præter Fridericum Episco-

ſcopum, & Clerum Auguſtanum, Maximilianus Cæſar, Chriſtophorus, & VVolfgangus Boiorum Duces coram honeſtauere.

Tertio translatæ ſunt anno MDLXXIX. tertia feria poſt octauam Paſchæ, ſub Iacobo Abbate, & in hunc, vbi adhuc honorifice aſſeruantur, repoſitæ ſunt locum.

S. Digna &c. Anno demum MDCXIX. die IX. Octobris, translatæ ſunt reliquiæ S. Dignæ Martyris, & aliorum VII. Martyrum ex ſocietate S. Afræ, cum corporibus SSSS. VVicterpi, Toſſonis, Nidgarij & Adalberonis, & in ſacrario altari ibidem incluſæ de qua translatione, cum prolixe egerimus in noſtro Chronico de SS. Auguſtanis, noluimus actum agere, & hic eadem cum faſtidio repetere.

CAPVT XIX.

ETIAM INSTRVMENTA MARTYRII DIGNO honore culta.

Inſtrumenta pœnalia cur colantur. QVin etiam ipſæ dirarum inſtrumenta pœnarum, quæ nonniſi ad cruciatus inferendos SS. Martyrum corpora tetigerunt, tantum virtutis & gratiæ ex eorum membris hauſerunt, vt ex eis innumera fere miracu-

racula edita referantur, & proinde à Christi fidelibus maximo in honore habita, & conseruata fuerint.

Coli namque & honorari possunt propter illam prærogatiuam, sicut sudaria & semicincti a, propterea quod à tam sancto corpore prodibant, contrahebant peculiarem quandam præstantiam & virtutem, ob quam poterant esse, & re ipsa quoque erant omnibus venerationi.

Hinc D. Ambrosius (a) describens vitam SS. Vitalis & Agricolæ: *Detuli*, inquit, *vobis munera, quæ meis legi manibus, id est, crucis trophæa, cuius gratiam in operibus agnoscitis, certè & ipsi dæmones confitentur. Condant alij aurum atque argentum, ac de latentibus eruant venis, legant pretiosa monilium serta, temporalis ille thesaurus est, & sæpè habentibus pernitiosus. Nos legimus Martyris clauos, & multos quidem, & plura fuerunt vulnera quam membra. Clamare Martyrem, diceres ad populum Iudæorum, cum clauos eius colligeremus: mitte manus tuas in latus meum, & noli esse incredulus sed fidelis. Collegimus sanguinem triumphalem, & crucis lignum: Hæc sanctæ viduæ negare non potuimus postulanti. Munera itaq; salutis accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur, &c.*

(a) *Exhort. ad Virg.*

Ipsi namque Martyres cruce clauisque cruciati sunt.

Hinc

(b) Bar. tom. 3. annal Velſ. lib. 7. rer. Auguſt. Gretſer. lib 1. c. 37. de S. Cruce.

Inſtrumenta ſuppliciorum terra mandata.

Hinc colligitur, quod Chriſtiani inſtrumenta ſuppliciorum (qui item Iudæorum (b) mos, vti ex Thalmudicis libris obſeruatum, & colligitur ex Rabinis Iacob Iurim, & Moyſe Ægyptio, qui aiunt, *vetitum fuiſſe cadauera damnatorum inferre in ſepulchra cæteris communia; ſed in priuata ſeorſim ab alijs fuiſſe ponenda; rurſumque ſeparatim pariter ſepeliri debere inſtrumenta illa, quibus mors illata fuiſſet, nempe cruces, clauos, enſes, lapides, pro mortis genere, quo quis interijſſet*, eaque ratione vetitum etiam fuiſſe tradunt, *aliquem ſuffigi arbori, ſed ex ligno exciſo crucem componendam fuiſſe, eamque ſeorſim ſepeliendam cum reliquis ad mortem adhibitis inſtrumentis.* Sed hæc conſuetudo gentis præterea alterius nullius fuit) vnà cum Martyrum corporibus condere ſoliti, nam eius rei inprimis illuſtre documentum domini noſtri IESV Chriſti crux cum clauis ab Helenâ repertâ, ſic Ambroſius modo citatus à nobis ſupra, de Agricolâ, (c) nos legimus Martyris *clauos*: Maffeius (d) lanceæ cuſpidem cum Thomæ Apoſtoli corpore inuentam prodidit, & Coloniæ Agrippinæ aliquot Britannicarum virginum capitibus ſagittas adhuc inhærere audio.

(c) Exhortat. ad Virg.

(d) Hiſt. Ind. lib. 8.

Sic

Sic Augustæ Vindelicorum, ante non plurimos annos, cum fundamenta iacerentur domus quæ templo D. Ioannis adhæret, inuentum forte cadauer clauò trabali trãsfixum, cogitabatur hominis videri posse illo supplicio Christianæ pietatis caussa mactati. Nam nulla est tam immanis crudelitatis species qua impietas in Christianos grassata non sit, ista quidem vt est in Romanis martyrum fastis,(e) & Dionysij Alexandrini Episcopi epistola apud Eusebium,(f) Ischyrion, *præacuta sude per media transuerberatus, interijt.*

(e) Mart. Rõ. 22. Dec.

(f) Lib. 6. cap. 34.

De IESV CHRISTI D. N. pasſionis instrumentis supra(g) abunde dictum: nec præterita(h) vincula D. Petri & lapides S. Stephani.(i)

(g) Lib. 2. ferè toto.

(h) Lib. 4. c. 13.

(i) Ibid. c. 5.

Sanè prope Augustam Vindelicorum vno miliario ab vrbe trans Lycum in regione Bauarica, locus ipse in quo S. Afra Martyr igni tradita est, ecclesia ædificata fuit exornatus: arbor item siue palus cui alligata fuerat columna lapideâ circumdatur, tum alijs locis particulæ eiusdem digno honore asseruantur.

Palus S. Afra.

Sic in hodiernum diem Romæ seruantur forfices, quibus B. Ioannes Euangelista attonsus fuit, in sacrosancta basilicâ Lateranensi, visu & veneratione dignissimæ.

Forfices S. Ioannis.

Et in Basilica Vaticana inter sanctorum Reliquias asseruatur genus forcipis, ab alijs *vngula*, dictum, quali olim SS. Martyres excruciati sunt. (k)

(k) Gallon. de SS. Mart. cruciat. c. 5.

Columna S. Sebastiani.

Columna illa in basilica S. Sebastiani extra Vrbem religiose asseruata, quæ ex antiqua Christianorum traditione illa esse creditur, in qua idem B. Martyr pro Christi fidei confessione sagittis percussus fuit.

Cratis ferrea in qua assatus fuit S. Laurentius, seruatur Romæ.

Craticula item, in qua Sanctissimus Christi confessor Laurentius assatus fuit, religiose asseruatur Romæ partim in Basilica S. Laurentij in Lucina, & partim in Paneperna. Ibidem etiam seruabatur in ampulla cristallina liquor ille, qui desuper craticula ab Hippolito & Iustino de eius corpore expressus est. Qui cum furto subtraheretur à Godefrido Leodiensi Canonico, & ille ex vase illo Cristallino transponeret in vas suum liquorem sanctissimum; Mirabile dictu, statim sequebatur odor suauissimus, vltra omnia fragrans balsama: Etenim ipsius verba sunt: *Ego me obtuli sacrificium* DEO *in odorem suauitatis*; Ita habetur *in gestis Pont. Leod. cap. 8.* Item culter, quo S. Bartholomæus excoriatus, Moguntiæ, de quo supra. Concludo aurea Eusebij (l) Emisseni sententia: *Plurimæ populorum Ecclesiæ* ait,

(l) Homil. in SS. Mart. Ephippod. & Alex.

etiam

etiam illa sanctificatione contentæ sunt, quam de angelicis membris sacri amictus, vel duri catenarum nexus contingendo rapuerint, vt quod fuit instrumentum pœnæ, sit gloriæ testimonium, & dolorum materia, transeat ad insigne meritorum.

CAPVT XX.

DE EXTERNIS QVIBVSDAM SS. RELIQVIIS.

EXternas Sanctorum Reliquias, vocamus eas res, quæ eorum corpora vel monumenta tetigerunt. quales sunt, vestes, cilicia &c. quibus adde capillos & quę de barba, vnguib⁹, &c. sumpta sunt, quæ partes corporis quodammodo externæ sunt.

Atq; vt ab historia Euangelica exordiamur, in ea hoc legimus; (a) Mulier quædam laborauerat fluxu sanguinis annis duodecim: expenderat in medicos omnes quas habebat facultates, Christum in medio turbæ conspicata, cogitabat, si vel fimbriam vestimenti eius tangeret, fore vt sanaretur. Quid multis? vicit pudorē desiderium sanitatis. Clam dominum accedit, fimbriam tangit, & mox sanitati restituitur. *(a) Matth. 9. Luc. 8.*

Virtutes non quaslibet faciebat DEVS per manum Pauli, Diuo Luca teste, (b) *(b) Act. 19.*

ita vt etiam ſuper languidos deferrẽtur à corpore eius ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab ijs languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.

(c) Greg. Mag. lib. 2. ep. 3. Indic. 11. Ioan. Diac. in Vita S. Greg. Bar. tom. 8.

Anno Chriſti Domini D. XCII. inter multas Gregorij Papæ I. ærumnas felix illud ac fauſtum accidit, (c) vt reperta tunica S. Ioan. Euang. Romam deferretur: cùm enim innotuiſſet ipſi Gregorio, tunicam S. Ioannis apud quendam Epiſcopum aſſeruari, Epiſcopum illum cum ea Romã venire præcepit, ita de his ſcribens ad Ioannem Abbatem: *De tunica verò ſancti Ioannis omninò gratè ſuſcepi, quia ſollicitus fuiſti mihi indicare. Sed ſtudeat dilectio tua mihi ipſam tunicam, aut (quod melius eſt) eundem Epiſcopum, qui eam habet, cum clericis ſuis, & cum ipſa ad me tranſmittere: quatenus & benedictione tunicæ perfruamur, & de eodem Epiſcopo vel clericis mercedem habere valeamus.* Hanc autem Romam fuiſſe perlatam, & collocatam ſub altare ſancti Ioañis in Baſilica Conſtantiniana, teſtatur Ioannes Diaconus, qui eam conſueuiſſe coruſcare miraculis tradit, ait enim: *Quæ quidem veſtes vſque hactenus tantis miraculis coruſcare probantur, vt ſiccitatis tempore foras excuſſæ pluuiam conferant, inundationis verò ſerenitatem reducant.*

D. Ioan Euãg. tunica Romã translata.

Nar-

Narrat quoq; Eusebius Cæsariensis, (d) Cathedram Iacobi Apostoli, qui primus Episcopus fuit Hierosolymorum, ibidem asseruari vsq; in hodiernum diem. *Seruatur ergò*, ait, *cum ingenti studio, veluti à maioribus tradita memoria sanctitatis, & cum magna veneratione habetur, &c.*

(d) *Hist. Eccles. lib. 7. c. 9. & 10.*

Cathedra S. Iacobi.

Asseruatur etiam hactenus in Basilicâ Vaticanâ ipsa cathedra lignea, in qua olim Romæ Petrus sedisse perhibetur. Nec quis hoc miretur: si enim sedes ipsa lignea, cathedra Iacobi Apostoli, Hierosolymitani Episcopi, post tot tantaque Iudaici populi naufragia, post illud pauendum Hierosolymorum excidium, seruata nihilominus est integra vsque ad tempora Constantini Magni Imperatoris, vt scribit Eusebius, (e) quam & successores Episcopi decẽti honore custoditam sunt venerati: quid tam mirum, Apostolorum verticis cathedram pari saltem fuisse diligentia conseruatam? ipsa etenim, quis supra eam sederit, virtute miraculorum prædicat, in ligno arido viridem gratiam curationum consecuta, cùm per eam Deus diuinam opem implorantibus beneficia præstare non desinat.

Cathedra S. Petri.

(e) *loc. cit.*

Conseruatam nouimus etiam Alexãdriæ cathedram Marci Petri discipuli, in qua successores ob cœlestem in ea splendorem diuinitùs ostensum insidere in

Cathedra S. Marci.

posterum non sunt ausi. Porrò Liberatus Carthaginensis (f) refert de Pallio B. Euangelistæ Marci, quòd illud in tanta reuerentia habuerint Alexandrini, vt oportuerit illum, qui defuncto Episcopo succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumq́ dexterá eius capiti suo imponere, & sepulto manibus suis accipere collo suo B. Marci pallium, & tunc legitimè sedere.

(f) In Breu. de causa Nestoriana c. 20. Eiusdem pallium.

Tunica S. Antonij.

Magnus Antonius, referente D. Hieronymo in vita sancti Pauli primi eremitæ, cum Pauli tunicam ex folijs palmarum contextam adeptus esset, ob ipsius Pauli reuerentiam, illam induere solebat in diebus tantùm solemnibus Paschæ & Pentecostes.

(g) Baron. tom. 11. ex Bibliothec. Mitra S. Gregorij VII.

Gregorius Papa VII. (g) mitram capitis sui transmisit Anselmo tertio Lucensi Episcopo, tanquam potestatem suam ligandi & soluendi, sed & miracula, credo, faciendi. Nam non multo post, cognoscentibus nobis omnibus, per ipsius consilium, & fidem magnam, præclara quædam fecit DEVS per eandem mitram mirabilia. Inter alia enim Reuerendissimus D. Vbaldus Mantuanus scilicet Episcopus, multis iam annis grauissimè spleneticus, toto corpore vlceratus, præsertim in cruribus, sic vt vix quomodolibet stare posset, vix etiam iacere

vel

vel sedere, qui & multa in medicos erogauerat, nihilque profecerat, appositâ eadem mitrâ, vbi maior ingruerat dolor, pristinæ redditus est sanitati.

Quomodo fæmina quædam à cacodæmone virtute capillorum S. Vincentij Ferrarij erepta fuerit, tradit F. Petrus Ranzanes in eius vita. (h) *Capilli S. Vincentij.* *(h) Lib. 4. in fine.*

Item ligno cancelli S. Martini sanatus est Gregorius Turonensis, vt ipsemet testatur. (i) *Cancelli S. Martini.* *(i) Lib. 4. c. 2. Mirac. S. Martini.*

Augustæ Vindelicorum in Ecclesia SS. Vdalrici & Afræ adhuc incorrupta seruantur vestimenta eiusdem S. Vdalrici Episcopi, post CC. X. annos, è sepulchro eruta, nimirum, Casula, Dalmatica, stola, & manipulus. *Vestes S. Vdalrici incorrupta.*

Calix etiam è quo sacra mysteria celebrauit, quotidianis ferè miraculis celeberrimus. Nam quotquot à rabidis canibus morsi, aut graui febre detenti, deuotè ex eodem bibunt, plerunque pristinæ sanitati restituuntur. Cineres etiam ex eius sepulchro (vt olim pulueres S. Remigij) nociuum genus glirium pellunt reuerenter habiti. Ibidem in Monasterio S. Crucis calceus eiusdem asseruatur; & in celebri Monasterio Cæsariensi Ord. Cisterciensis Mitra ipsius. Sed nec lignei disci, è quibus cibum capiebat, neglecti, nam in præfato Monasterio S. *Eiusdem calix.* *Cineres.* *Calceus.* *Mitra.* *Disci.*

Pecten. Vdalrici religiosè monſtrantur, cum pe-
ctine duplici eiuſdem ſancti Epiſcopi &
Crux. S. Conradi Conſtantienſis Præſulis. Crux
Humerale. quoque, eidem contra Hunnos infideles
pugnaturo, diuinitus miſſa, hierothecæ
ex puro auro, gemmiſque precioſis con-
Alba. fectæ incluſa, arctiſsimè cuſtoditur. Al-
ba verò & Humerale eiuſdem in Cœno-
bio Nõresheim.

CAPVT XXI.

DE LIQVORE è SANCTORVM RELIQVIIS PROfluente.

PRodunt ſacrarum literarum monimenta, ex mandibulâ aſini Samſoni (a) ſitienti ſalutarem potum atque ex rupe virgâ Moyſis (b) percuſſa vberrimos fontes populo Iſraëlitico profluxiſſe: ita etiam, probatæ & fide dignæ narrant hiſtoriæ, ex aridis & exſuccis nonnullorum Sanctorum oſsibus, & Reliquijs oleum, ſeu liquorem oleoſum aut vnguentoſum fluxiſſe, imo ipſa experientia comprobatum eſt, ex nonnullis necdum per tot annorum ſpatia manare deſijſſe.

(a) Iud. 15.
(b) Exod. 17.
Sancti ἐλαιοφόροι.

S. Andreas. De S. Andrea Apoſtolo hæc D. Gregorius Turonenſis: (c) *Andreas Apoſtolus,* ait, *magnum miraculum in die ſolennitatis ſuæ pro-*

(c) Lib. 1. c. 34. de glor. Mart.

profert, hoc est, manna in modum farinæ, vel oleum cum odore nectareo, quod de tumulo eius exundat: Per id enim quæ sit fertilitas anni sequentis ostenditur. Si exiguum profluxerit, exiguum terra profert fructum: si verò fuerit copiosum, magnum arua prouentum fructuum habere significat. Nam ferunt in aliquibus annis intantum è tumulo oleum exundare, vt vsq; ad medium basilicæ profluat riuus ille. Hæc autem aguntur apud Prouinciam Achaiam, in ciuitate Patras, in qua beatus Apostolus siue martyr, pro redemptoris nomine crucifixus, præsentem vitam gloriosa morte finiuit. Tamen cum oleum defluxerit, tantum odorem naribus præstat, vt putes ibi multorum aromatum sparsam esse congeriem. Quod non sine miraculo ac beneficio habent in populis: Nam ex hoc, seu inunctiones factæ, seu potiones datæ, plerumq; languentibus commodum præstant. Post cuius adsumptionem, multæ virtutes, vel ad hoc sepulchrum, vel per diuersa loca, in quibus eius reliquiæ collocatæ sunt, feruntur ostensæ. Cruor item S. Andreæ adhuc fluidus, ſicuti etiam de SS. Innocentibus aſſeruatur in ſæpedicto Noresheimenſi cœnobio.

Oleum odoriferum è tumulo S. Andreæ Apostoli.

Ex ſancti Nicolai Epiſcopi corpore, vt è perenni quodam chariſmatum fonte,

S. Nicolaus.

stillat liquor salubris, sicut olim cum esset Myræ: quamobrem Emmanuel Imp. dum de eo agit in constitutione nouella de ferijs, his titulis eum exornat: (d) *Nicolaus miraculis insignis, vnguentorum fragrantia scatens, &c.*

(d) Theod. Balsam. in nomoc. Phot. tit. 7. c. 1.

Corpus sancti Nicolai Myrensis, ait Bozius, (e) *Barij nunc habetur, ex illo scatere liquorem, qui aduersus innumeros morbos prosit, tum sciunt innumeri, tum testatur Emmanuel Imp. nouella de ferijs, vbi & meminit similiter aquæ illius, quæ defluit ex corpore S. Andreæ, quod Amalphi asseruatur: quamuis hoc miraculum dicatur aliquando in corpore Sancti Andreæ interrumpi.*

(e) De sig. Eccles. tom. 2. lib. 15. c. 10.

De sancto Theodoro confessore, (f) ait Martyrologium Romanum, *ab aspera cilicij veste qua tegebatur, cognomento Trichinas, qui multis virtutibus, præsertim aduersus dæmones, claruit: ex cuius corpore vnguentum scaturiens, ægrotis sanitatem impertit.*

(f) Die 20. April.

S. Theodorus.

Frequens olim concursus fuit Christianorum ad sepulchrũ S Demetrij (qui Procõsul cùm esset, & plurimos ad Christi fidẽ perduceret, Maximiani, Imperatoris iussu lanceis confossus martyriũ cõsummauit) (g) Thessalonicam, ex quo vnguentum medicum scaturire iugiter consueuit. (h)

S. Demetrius.

(g) Martyrol. Rom. 8. Octob.

(h) Glycas in Annal. Cedrẽ. & Zonar.

Pro-

Procopius refert (i) Iuſtinianum morbo quodam incurabili tentatum, cùm deſperaret omne Medicorum conſilium, petijſſe ad ſe adferri quaſdam Reliquias tunc fortè inuentas, genuique, vbi maximus dolor erat, imponi: quod cum factum fuiſſet, non modo dolor abſceſsit: ſed ex ijs oleum ſubitò manauit, quo & arcula Reliquiarum, pedesq; & veſtis Imperatoris purpurea, tota ſunt perfuſa.

(i) Lib 9. orat. 1. de ædif. Iuſtin. Thom. Boz. de ſign. Eccleſ. Dei tom. 2. lib. 15. cap. 10.

Sic & Theodoretus, Epiſcopus Cyri, (k) contra veneficos & hæreticos fortiſſimè dimicans, oleo ex varijs Martyrum monumentis collecto, & à lectulo, in quo quietem capiebat, penſili, ſanctique viri Iacobi Anachoretæ lucernâ, tanquam pretioſiſsimo, vt verè erat, lipſano, ſe aduerſus Tartareas molitiones communiebat. Cùm enim noctu malus genius clamaſſet: *Scias quòd te iam pridem confodiſſem, niſi chorum Martyrum te cuſtodientem vidiſſem cum Iacobo.*

(k) Theod in hiſt. relig. c. 21.

Oleum SS. Martyrum.

CHORVM MARTYRVM ita explicat Theodoretus: *Intellexit,* ait, *quod martyrum quidem chorum dicebat lecythum olei martyrum, qui cùm à multis Martyribus collectam haberet benedictionem, pendebat à meo lecto: ſub meo autem capite erat magni Iacobi vetus amictus, qui quouis clauſtro adamantino validior mihi fuit.*

Refert Metaphrastes in vitâ S. Samsonis hospitum susceptoris, (l) quomodo virtute olei è dicti sancti Samsonis sepulchro scaturientis, curatus sit hydropicus, & subiungit: *Fluit autem oleum istud è sepulchro non ita semper, sed paucis quidem diebus ante festum miraculi, veluti quidam humor apparet, deinde paulatim augetur, & remanet post festum sic scaturiens, donec aliquot dies præterierint: deinde cessat.*

(l) Apud Sur. tom. 3. Iunij 27. in vita cap. 23.

Oleum è S. Samsonis Sepulchro fluit.

Ex sepulchro sancti Euthymij Abbatis fluebat oleum, quo morbidi inuncti curabantur, vt tradit Cyrillus Monachus. (m)

E S. Euthymij.

(m) In eius vita ap. Sur. 20. Ian.

Voluit DEVS vt ex diuinis reliquijs Ioannis, qui cognomen accepit à misericordiâ, (n) Eleemosynarius dictus, copiosa scaturirent vnguenta, emittentia suaueolétem odorem curationum. Quibus fruentes qui in ea inciderant, communiter DEVM, qui sic eos, qui ipsum glorificant, longè ampliùs glorificat, gratis labris glorificârunt.

(n) Metaph. ex Leontio. 23. Ian.

E S. Ioannis Eleemosynarij.

Cùm beato Eligio Nouiomensi (o) Episcopo Bathildis Regina thecam ex multo auro & argento, in quo eius sacra ossa conderentur, miro opere conficiendam curasset, & ea propter auri gemmarumque splendorem, quadragesimæ diebus aliquando tecta esset lineo panno: cœpit

(o) Audoën. in vita eius lib. 2. c. 39. 40. 41.

Item S. Eligij.

pit sudare linteum illud, sensimque magis atque magis vapores exhalans, copiosiùs humectari. Ea propter senioribus consultissimum visum est, vt ablato linteo à thecâ, exprimerent humorem in vasculum, isque pro medicinâ seruaretur. Sicque factum est, & ille liquor in vase æneo seruatus, multis posteà attulit sanitatem. Tanta autem fuit eius sudoris admirandi copia, vt pannus holosericus, cui erat linteum illud adiũctum, optimo colore tinctus, colorem illum amitteret, eoq; linteum inficeretur. Duos ferè sextarios sudor ille compleuit.

Ea tempestate aliquot Franciæ vrbes dirè vastabat morbus quidã, cuius pellẽdi causa credimus liquorem hunc diuinitùs collatum. Si quis enim correptus morbo, in mortis discrimen venisset, & eum liquorem attigisset, confestim sanabatur. *Mira vis eius liquoris.*

De iuuene quodam (p) AEgyptio tradunt Menæa Græcorum; quòd cùm is martyrio affectus esset, eiusque caput argentea reclusum theca, merito honore & cultu celebraretur; inde fragrans sudârit oleum, omnisque generis curârit morbos. *(p) Die 2. Dec. AEgyptij Martyris.*

De S. Felice Nolano hæc narrat Ambrosius Leo: (q) *Sub choro sacellum est subterraneum, D. Felici dicatum: quod testudine tegi-* *S. Felicis.* *(q) De Nola lib. 2. c. 11.*

tegitur, quæ tribus columnarum ordinibus fulcitur. Huc descensus duo per gradus aliquot fiunt: singuli de altera basilica ara adeuntes. In occiduo verò sacelli huius latere ara extat: & supra aram mensa marmorea erecta ac pertusa traiectaque canaliculo argenteo, vnde liquor quidam stiriatim fluens decidit tunc, cum maximè vrget hyemale gelu. Quem liquorem mannam vocant, idemque diui sudor esse creditur: cuius corpus in puteo iacet. Hic nempe à tergo tabulæ marmoreæ patet, ac in imum descendit.

S Laurentij presbyteri.

(r) Martyrol. Rō. 30. April. cum not. Baron.

Nouariæ celebris habetur memoria S. Laurentij presbyteri, & puerorum martyrum, quos ille susceperat educandos. (r) Marmoreo eorum sepulchro, quod dictorum SS. Martyrum sacris ossibus est refertum, ex quibus medicus liquor manare consueuit, huiusmodi elegans epigramma est insculptum:

Aspicis hoc marmor tumuli de more cauatum?
Id solidum est intus, rima nec vlla patet.
Vnde queat tellus occultas mittere limphas,
Manat ab ingestis ossibus iste liquor.
Si dubitas, medio sudantes tolle sepulchro
Relliquias, dices: Vnda salubris vbi est?

Ne

Ne verò longius excurram, aliquorum adhuc tantùm nomina edam, ex quorùm Reliquijs oleum fluxisse traditur: vtpote S.Bercharius Abbas; S.Quirinus Tegernseensis; Quatuor milites Martyres ad Melitenem Armeniæ, de quibus Procopius. (s) S.Matthæus Apostolus & Euangelista; teste Marsilio Columna Archiepiscopo Salernitano in libro de vita & rebus gestis S.Matthæi. Item Gundackarus Episcopus Eystettensis; nam cum anno salutis M. CCC. IX. in Septembri exhumata essent ossa Gundackari Pontificis, & ex loco, (t) vbi minus decenter tumulata fuerant; ad aliud honorificentius sepulchrum translata, sunt priùs vino reuerenter lota. Cœterùm antequam ossa secundo sepulchro inferrentur, oleum tam de ossibus, quam de superiore marmoreo lapide sepulchri *visibiliter emanauit*, inquit Continuator. Quod Philippus Eystettensis Præsul duobus calicibus aliquando excepit, & ad multorum medelam conseruauit. Idem olei fluxus repetitus est Feria IV. post festum D.Michaëlis ab hora precum matutinarum vsque ad tempus pomeridianum; idque in locis distinctis marmorei saxi, quo tumulus tegebatur.

Item aliorum plurium.

(s) *Lib.*1.*de ædif.Iustin.*

S.Gūdackari.

(t) *P.Gretser. Catal. Episc. Eystet.*

Inde curati claudi, muti, surdi, cæci, energumeni seu à Dæmone obsessi, para-

lyti-

lytici, nephritici, strumosi, mortui vitæ redditi, & id genus alij, quin & vino, quo sacra lipsana abluta fuêre, & oleo, quod inde manauit, multis salus obuenit.

Feminini sexus, exempla. Ex fæmineo sexu occurrit primò S. Catharina tàm apud Græcos, quam Latinos celebratissima Martyr. S. Hermione filia Philippi Diaconi.

Placet hic adscribere, quæ de sanctissimo Euphemiæ corpore post Euagrium (u) prodidit memoriæ Nicephorus Callistus. (x) *In tumuli*, inquit ille, *læuo latere fenestella quædam admiranda est operculo quam maximè obfirmata, per quod ferramentum longiusculum, cui in extrema parte spongia alligata est, immittebant, spongiamque ipsam in sacrosanctis martyris reliquijs obuolutam, & guttis cruore illius delibutis refertam extrahebant. Hanc vbi plebs conspexisset, homines statim in terram inclinati vociferatione maxima* DEVM *honorabant, miraculoque illo obstupefacti manus sustollebant. Tantus autem inde profluxit vbertim humor, vt non solum Imperator & Episcopus, populusque, qui ibi congregari solitus fuit, affatim eo perfruerentur, verùm etiam quocunque quiuis vellet locorum de eo aliquid secum defer-*

(u) Hist. Eccles. lib. 2. c. 3.
(x) Lib. 15. c. 3.
Euphemiæ Martyris reliquiæ sanguinem vnguento conditum emittere solita.

ferret. *Neque guttæ tempore vllo defecerunt, neque diuinus ille sanguis aliqua ex parte mutatus est: sed is semper colorem suum maximè rubrum conseruauit. Facta hæc non certo aliquo temporis curriculo, sed pro eo atque Episcopi ipsius vita, morumque sanctitas ferret. Sic enim fertur, cum is, qui Ecclesiam gubernaret, præclarè viueret, & virtute exornatus esset, frequentius miraculum hoc exhibitum esse: cum verò Antistes sacrorum talis non esset, rarius eam rem tam admirandam, nec tam facilè à martyre processisse. Hoc sic factum esse noui.*

Cæterum quod neque dies, neque vllum tempus intercipit, sed perpetuo omnibus credentibus simul & non credentibus adfluit, & accidit, id nunc dicam.

Si quis in sacrarium id, vbi tumulus, & sanctæ martyris reliquiæ, perinde atque thesaurus, nunc repositæ sunt, veniat, odor immensus, & vim naturæ odoresque omnes, quos ars humana conficit, spirans, ad eum perfertur. Et subdit Nicephorus: *Ex quo Euphemia in martyrum stadio decurrit, & corpus eius in monumento conditum est, ipso passionis eius die, in conspectu omnium loci Episcopus, spongijs quibusdam è defunctæ cor-*

Odor ad monumentum S. Euphemiæ longe optimus.

pore

pore ſanguinis liquorem haurit : ſanguinem ſanè veluti à corpore recens cæſo vulnerum tabo mixtum, & vnguentis quibuſdam ſponte natis temperamentum cernas, quem exiguis vitreis vaſculis exceptum, atque diuiſum turbæ aduenienti donat.

Mauritio Imp. incredulo exploratum, cruorem è corpore D. Euphemiæ profluere.

Hoc igitur auditum, ſicuti dixi, animi quadam vecordia in dubium vocans Mauritius, cum tempus adueniret, argenteum ornatum è ſepulchro detrahit, & Imperatoris ſigno monumentum martyris obſignat. Sic enim hoc incredulitatis volebat audacia. Poſtquam verò tempus ipſum, quod debebat, adfuit, curioſè myſterium indagat, accuratiuſque experimento ſollicito miraculum explorat. Ecce tibi verò rurſus, ſicuti anteà, ſanguis vnguento conditus, inſtar riuuli è monumento promanat, & ſpongiæ ſanguine ſuaueolenti pingueſcunt, & martyr ipſa tum vt prolixius ſanguinis fons proflueret, fecit.

(y) Ex Niceph. Calliſt. lib. 18. *c.*32 *Bozius lib.*15 *de ſignis cap.*10.

Miraculum Vnguenti è tumulo D. Glyceriæ.

Cùm Epiſcopus Perinthi inſcienter argenteum vas emiſſet, (y) quod ad artes magicas antea fuerat adhibitum, & ſancto corpori Glyceriæ martyris ſuppoſuiſſet, continuo ſtetit vnguentum. Re noua perculſus Antiſtes ad preces confugit, diuinoque impulſus ſpiritu, nouum vas amouit, & antiquum repoſuit, & pro-

protinus vnguentum ſicuti prius ſcaturire cœpit. Quocirca rem diligentius inquirens, comperit vas illud nefandis rebus ſeruiſſe. Quod ſimulatque ad Imperatoris aures peruenit, habitâ quæſtione, tanti criminis reum, vti par erat, ſupplicio affici iuſsit.

In Menologio Græcorum, quod Card. Sirletus olim ex Græco in Latinum ſermonem tranſtulit; fit Martyris cuiuſdam die 13. Iulij talis commemoratio. *Sanctæ Martyris Myropis, temporibus Decij Imperatoris, quæ primùm habitauit in Inſulâ Chio, poſteà verò ad Epheſiorum vrbem profecta, religioſè admodum hauriebat vnguenta ex ſanctorum Martyrum corporibus profluentia ex quo & nomen ſortita eſt*, nimirum à myro ſeu vnguento. S. Myropis.

De eadem S. Myrope die 3. Decembris Menologium. *Hæc, mortuo patre, baptizata incumbens ad monumentum S. Hermiones vnius ex filiabus S. Philippi, vnguentum ex ſepulchro Martyris ſuſcipiebat, idque omnibus abundè tribuebat; Ex quo & ipſa nomen eſt adepta, Myrope dicta.*

Myropes ergò nomen hęc ſancta Martyr inuenit, quòd Martyrum & aliorum cœlitum tumulis vnguentiferis & elæophoris aſsidere, oleumque piè colligere, collectumq́; pijs diſtribuere ſoleret.

Condita sunt lipsana beatæ VValpurgis Virginis Eystadij in summi altaris lapide duro, solido, excauato, & supernè concluso, eo ipso loco, (z) quo à sacrificante Sacerdote corpus & sanguis Domini imolatur, ita vt probabile sit, hanc tumbam fungi vice sepulchri, quale in omnibus aris consecratis ex ipso consecrationis ritu & præscripto visitur. Infra prædictum lapidem est cauitas seu foramen quadratum, in quo destillat stillicidium de lapide superiore, qui sacra Virginis ossa tenet. Videas guttas modò maiores, modò minores pisi aut nucis auellanæ magnitudine de lapide supino dependentes, quas omnes excipit *latè patens* argentea concha.

(z) *Iac. Gretser. de fonte Olei VValpurgini.*

S. VValburgis.

Hoc verò prodigioso oleo, & salutari liquore medicante, plurimi varias corporis ægritudines & extrema etiam vitæ pericula frequenter à se auertunt.

Porrò sacer iste liquor adhuc solenne suum retinet in eo, quod si contemptim & non reuerenter habeatur, repentè euanescat. Præcipuè verò blasphemiarum impatiens est, adeò vt longâ experientiâ compertum sit, si ij qui sacrum oleum penes se habent, blasphemis vocibus DEVM lædant, tanto thesauro eos priuari. Et non pauci aliundè è locis dissitis ad sanctam VValpurgam vel venerandam, vel

im-

implorandam profecti Eystadium, sanctè affirmarunt, se sacrum oleum in vasculo probè clauso sibi afferri curasse, sed vacuum recepisse, eò quod tabellarij, genus hominum in blasphemando non indisertum, maledicis in DEVM vocibus sacrum liquorem fugauerint. Ita nimirum non vult DEVS & sancta VValpurga oleum suum peculiari diuinæ suæque gloriæ augmento scaturiens, maledico ore contemerari.

Parturientium maximè necessitati hoc oleum opitulatur, & ideò si difficilior partus periculum minetur, solent Eystettenses fœminæ id pro præsenti remedio adhibere, euentu ferè secundo.

NOTANDVM, inquit Philipp. Episc. Eystettensis, *quod etiam idem sacrũ oleum tantæ mundiciæ ac meracitatis existit, vt sine omni corruptione, & fœda maculationis feculentia per ducentos annos seruatum consimilis puritatis inuenitur cum illo, quod hodierno die de stillicidio eiusdem sacræ emanationis susceptum est.* Nec exiguum momenti in eo est, quòd hoc oleum, non semper stillat, sed hyberno duntaxat tempore, à XII. Octobris, hoc est à festo translationis S. VValpurgis, vsque ad XXV. Februarij quo die beata Virgo ad immortalem vitam migrauit. Quamuis boni ominis lo-

co habeatur, si stillatio vltra hunc terminum proferatur.

S. Elisabetha. De sancta Elisabetha Hassiæ Landgrauia memoriæ proditum est, quod sacer olei liquor ex ossibus benignissimę principis, liberaliter cum gratissima odoris fragrantia promanarit, testis castimoniæ, sanctitatis, & in pauperes benignitatis.

S. HedVVigis. Idem fertur de sancta Hedvvige Poloniæ Ducissa; vti sequenti capite dicemus.

S. Agnetis Politiana. Ex S. Agnetis Politianæ in Tusciâ exanimis corpore integra ampulla plena oleo fluxit, quod oleum adhuc Reliquiarum loco cum ipsa ampulla asseruatur.

Atque hæc de ἐλαιοφόρεσιν, & vnguentiferis Diuis adferre voluimus, non quasi plures non sint, sed quia plures mihi non sunt comperti. Non dubito lectionem Græcorum & Latinorum monumentorum lectori plures suppeditaturam.

CAPVT XXII.

DE ODORE è SACRIS SANCTORVM CORPORIBVS emanante. Item de eorum incorruptione.

(a) Ex Iuuenale Hiero Patriar. in CVm sanctissima DEI genitrix obijsset, (a) & ipsius corpus inclusum sepulcro fuisset, aduenit post ter-

tertium diem sanctus Thomas Apostolus, qui cæteris ad funus è longinquo vi diuinâ delatis, solus abfuisse creditur: quocirca magnopere efflagitauit sepulcrum resignari, ostendique sibi sanctissimæ Virginis corpus: Annuerunt omnes eius postulatis: sed ablato sigillo, monumentoque aperto, corpus nullo modo inuentum, tantum fasciæ, quibus illud inuolutum fuerat, repertæ, è quibus ignota maximi odoris suauitas prodijt, & cunctos adstantes mirificè perfudit.

epist. ad Pulcher. Augustam. Tho. Boz. de signis Eccles. lib. 25. cap. 8. tom. 2.

Sepulcrum B. V. odoriferũ.

Scriptum reliquit hoc post alios Iuuenalis Hierosolymorum Patriarcha, in epistola ad Pulcheriam Augustam.

Anno Domini D. CC. LX. & Constantini (b) Copronymi Imp. XX. translatum est caput S. Ioannis præcursoris atque Baptistæ à Monasterio Spelei in templum suum Emesæ in Syriâ situm, quod esset illustre, & descensus, nempè Confessio, ædificatus esset: ibi vsque hodie à fidelibus honoratum & adoratum, omni suauitatis, corporali scilicet & spirituali, honoratur odore, & emanans effundit omnibus sanitatem, qui fide flagrantes accurrunt.

(b) Ex Theophane Bar. to. 9. Annal. ad an. 760.

Caput S. Ioan. Bapt. translatum.

Quanta odoris fragrantia repleti sint fossores ossa sanctorum martyrum colligentes, in hunc modum refert Baronius (c) ex Surio: (d) Anno Christi Domini

(c) Annal. to. 10.

(d) 17. Ian.

Stephanus VI. diuinitus admonitus iubet quæri Martyrum Reliquias.

D. CCC. LXXXVI. Stephanus Papa VI. qui tum Romanorum gubernabat Ecclesiam, quosdam constituit, qui sanctorum triumphos scribendo patefacerent posteris: alios verò, qui quæsitos & inuentos fidelium venerationi proderent. Inuento igitur sacratissimo thesauro nullis copijs coæquando, ipse prior accinctus cryptam ingreditur, & stipatus diuersis venerabilis sacerdotij gradibus, ac cœtu populi Orthodoxæ fidei, DEO dignas laudes cum exultatione referens, inter ruinas & lapidum congeries proprijs cœpit manibus omni mundo venerabiles margaritas legere de sanctorum corporibus, nec cessauit suo sancto studio, donec omnia fragmina artuum à ruinæ segregaret congerie. Collectis itaque artubus, per dies aliquot, propter maximam ruinæ montium congeriem, tanti odoris nectar inerat in loco, vt omnes reficeret qui aderant. Quamobrem fossores magis ac magis labori operam dare exardescebant, lassitudinis & corporei alimenti immemores.

Odor suauissimus in cryptis Martyrum.

(e) Bar. tom. 9. ad an. Dom. 827.

Ludouicus Imp. sacras Reliquias veneratur.

Cùm aliquando Ludouicus (e) Imperator venandi gratia de palatio fuisset egressus, Hilduinus secundum quod cum Hingardo conuenerat, sacras reliquias S. Marcellini, ex Basilica in oratorium intulit. In illa verò processione, quam

quam de Basilica vsque ad oratorium suum fecerunt, quid miraculi acciderit censeo non esse tacendum. Egredientibus enim ijs de Ecclesia, laudemque Domino DEO excelsa voce canentibus, tanta vis suauissimi odoris eam partem vici Aquensis, quæ ab Ecclesia ad occidentem respicit, totam impleuit, vt illa fragrantia pœnè omnes eiusdem partis habitatores, itemque vniuersi, qui pro quibuslibet caussis atque negotijs, eadem in parte fuerant constituti, ita diuinitus commouerentur, vt omissis quæ in manibus habebantur operibus, cuncti cursu rapidissimo, primo ad Ecclesiam deinde quasi per vestigium ad Oratorium nostrum in quod illas reliquias illatas esse audierant, summopere festinarent. Fit immodicus intra septa nostra exultantis, simul atque admirantis populi concursus: & cum magna pars eorum qui confluxerunt, id quod agebatur, quid esset ignoraret: gaudio tamen & exultatione repleti, DEI omnipotentis misericordiam collaudabant.

Odor immensus ex sacris Reliquiis.

Cùm transferretur (f) venerandum sancti Seuerini corpus, Lucillus Presbyter, dum vniuersi per Comitem Pierium compellerentur exire, pręmissa cum monachis vespere Psalmodiâ, sepulturæ locum imperat aperiri. Quo patefacto, tantæ sua-

(f) Ex Eugippio Bar. to. 6.

Corporis S. Seuerini integritas & fragrantia.

tæ ſuauitatis fragrantia omnes circumſtantes accepit, vt præ nimio gaudio atque admiratione proſternerentur in terram. Deinde humaniter æſtimantes oſſa funeris inuenire diſiuncta (nam annus ſextus depoſitionis eius effluxerat) integram corporis compagem reperiunt: ob quod miraculum immenſas gratias retulerunt omnium conditori, quia cadauer ſancti, in quo nulla aromata fuerant, nulla manus acceſſerat conditoris, cum barba pariter & capillis vſq; ad illud tempus manſiſſet illæſum.

(g) Tho. Boz. de ſign. Eccleſ. lib. 15. c. 8.

Leontij Epiſcopi, (g) qui Concilio Nicæno interfuit, corp⁹ poſt años plurimos integrũ eſt repertum, ac ſuauiſsimè olẽs: quod omnibus admirationi fuit: non enim vel aromatibus conditum, vel ita compoſitum fuerat induſtria humana, vt iucundè ſpirare poſſet, ac non fœtere, vt omnium mortuorum corporibus accidere ſolet. D. Hieronymus in vita Hilarionis ſcribit, corpus eius poſt decem menſes adhuc integrum omninò repertum, & tantis fragrans odoribus, vt delibutum vnguentis optimis, atq; precioſiſsimis videretur.

(h) In vita ap. Sur. cap. 8. Octob. 15.

Tertio ab obitu (h) ſanctæ Hedvvigis Duciſſæ Poloniæ die, priuſquam ſepulturæ mandaretur ſanctum eius corpus, Abbatiſſa Gertrudis dixit VVenceſlanæ

ſoro-

ſorori, vt auferret ab eius capite velamẽ, & aliud reponeret. Hoc enim fuerat beatæ Elizabeth, cuius matertera S. Hedvvigis, quoad vixit, illud multa reuerentia proſecuta erat, & pro eius amore diligenter conſeruarat. Volebat ea cauſſa Abbatiſſa illud ſibi retinere. Accedens igitur VVenceſlana Prioriſſa ad feretrum detectâ facie ſanctę Hedvvigis, videt eam aperto ore iacentem, & ab ore ſentit proficiſci odorem ſuauiſsimũ, corpus quoque maiori candore infuſum, vt dos claritatis & ſtola gloriæ in ea iam tunc quodammodo relucere viderentur. In tranſlatione autẽ ſacri corporis eius, quæ anno M.CC.LXVIII. XVI. Calend. Septembris contigit, hoc admiratione dignum accidit. Eo ſiquidem die quo apertum eſt eius ſepulchrum, odor mirificus omnium nares compleuit, animoſque ſtupore & gaudio affecit. Oſſa autem ſacri corporis cùm eleuarentur, conſumptis carnibus, & membrorum compage ſoluta, tres digiti ſiniſtræ manus eius inuenti ſunt prorſus integri & incorrupti, & intra illos exigua imago beatiſſimæ Matris Dei, quam illa viuens crebrò apud ſe ferre ſolebat, & cũ ea tumulata fuerat, quod moriens adeò eam digitis iſtis ſtrinxerat, vt commodè inde auelli non poſſet. Cerebrum quoque capitis

Odor ſuauiſſ. è corpore S. HedVVigis prodit.

Imago B.V. inuenta inter manus defunctæ.

pitis eius, quod ferè viginti quinque annis humatum fuerat, inuentum est recentissimum, & diuina virtute mirabiliter conseruatum. Liquor etiam purus & clarus, instar olei oliuarum, suauissimi mirandique odoris, è capite erumpebat, sindones & pannos, quibus illud inuoluebatur, madefaciens, perindè ac si è flumine extracti essent

Oleum è capite S. Hedvvigis.

Subijciam, quæ olim annotare studui ad calcem vitæ sancti VVicterpi Episcopi Augustani. Vnum silentio præterire non possum, de ossiculis quantumuis minutissimæ quantitatis sancti VVicterpi, quæ à reliquo corpore auulsa, in parua quadam cistellula asseruantur, de quibus etiam multa varijs impertita, sicut etiam anno M. DC. II. Reuerendis & pijs Patribus sancti Francisci Ordin. Capuccinorum, cùm Augustæ Vindelicorum eorum templum solenni ritu initiaretur, est concessa particula, quæ suauissimi odoris fragrantiam emittere, atque complures grato suo odore non sine admiratione oblectare consueuerunt, cuius suauitatem non nostri tantum, sed complures etiam alij Religiosi homines non semel perceperunt, cuius etiam me sæpiùs participem effectum gratus agnosco. Nec est quod quis putet, aliqua fortè odorifera his particulis adiecta talem concilia-

Odor ex Reliquiis S. VVicterpi.

liare odoris fragrantiam, ſed quantumuis minimæ quantitatis, à reliquis ſegregatæ, chartulæ inuolutæ, eundem ſpirant odorem, & non ſolùm aliquot dies, ſed vel ad annum, aut eò longius eundem conſeruāt. Non tamē eo inficias eundem aliquando minui, aliquando verò occulto DEI iudicio augeri.

Item ex capite S. Simperti.

Nec abſimilis odoris fragrantia ex S. Simperti capite emanare nuper eſt animaduerſa, quod procul dubio bonū virtutum odorē deſignat, de quo Paulus Apoſtolus inquit, *Chriſti bonus odor ſumus.*

Aliorum plurimorum ſanctorum.

Denique idem contigit in multis alijs cadaueribus, quæ non modò, vbi in lucem venêre mirificos odores afflarunt, ſed eadem etiam DEVS integra & illæſa propter eorum puritatem cuſtodiuit. Huiuſmodi fuêre corpora Gregorij Lingonenſis, Eduardi Regis, Seuerini Noricorum Apoſtoli, Laurentij Iuſtiniani, Rhemigij, Furſei monachi, VVolſtani, Amandi, Ansberti, Thomæ Aquinatis, Nicephori Patriarchæ, Franciſci Paulenſis, Guthlaci, Staniſlai Cracouienſis, Elphegi, Petri Martyris, Nothberti, Romualdi, Edildridæ Reginæ, Galli Aruernorum Epiſcopi, Diſibodi, Eudocimi, VVilhelmi, Ferreoli martyris, Gerardi Epiſcopi Hungarici, Corbiniani Friſingenſis, Lamberti, Soſij martyris, VVenceſlai Bohemi,

hemi, Hilarionis Abbatis, Quintini martyris, cuius cadauer annos quinquaginta quinque sub aquis delituit, Huberti Leodiensis, Eadmundi Regis, Bernardini Senensis, Humberti, Iodoci, Claræ è Monte Falco. Sed antiquiores recenseamus.

Sanctorum cadauera incorrupta.
S. Zachariæ Prophetæ.
Zacharias Propheta, vt nonnulli volunt, occisus est sub annum ab orbe condito MMM. CCC. XXX. integrum verò est inuentum eius cadauer Theodosio Iuniore, qui imperare cœpit año MMMM. CCCCC. LVIII. post annos M. C. LXVIII. ab ortu Christi CCCC. XV. Rodulphus Abbas S. Trudonis scriptum reliquit se anno

S. Gereonis.
MC. XXII. adfuisse cum corpus S. Gereonis vna cum multis alijs post años octingentos integrum incorruptumque est repertum. Testatur Alanus Copus ætate sua

S. Cuthberti.
perstitisse cadauer Cuthberti Lindisfarnensis nihil omnino mutilatum, vel labefactum post annos octingentos ab obitu illius.

S. Albani.
Quid quod Albani martyris Britanni cadauer post annos mille permansit integrum prorsus & ab omni temporis iniuria intactum? *Quadringentesimus ac trigesimus annus agitur*, ait Bo-

(i) Lib. 15. c. 63.
S. Famiani.
zius (i) *ex quo è vita migrauit Famianus Coloniensis, eius cadauer ego vidi nullis mancum membris, nulla parte truncum, plurimis illustre miraculis in oppido Gallesij propè Romam.*

Su-

Sumus supra annum tercentesimum & quinquagesimum secundum, ex quo Vbaldus Episcopus Eugubinus vita migrauit, & tamen ego bis aspexi viuida immaculataq; eius membra, ac propius intuitus sum Sacerdotum manibus attrectari, & in omnes partes versari, perinde ac si caro nunc viua esset, non morti obnoxia, nam modo extrema sunt illi ambesa. *S. Vbaldi.*

Sed nec domestico exemplo caremus; nam anno Dom. M. LXIV. Corpus S. Afræ Martyris Patronæ nostræ, *integrum repertum est, & quodam candidißimo cæmento obductum.* *S. Afra.* Antonomi Episcopi & martyris corpus post annos à morte ducentos incorruptum à se visum scribit, qui ipsius vitam memoriæ prodidit, (k) Rainaldus Archiepiscopus Rauennas obijt anno millesimo trecentesimo decimo septimo: eius corpus ab omni labe purum est repertum anno millesimo quingentesimo sexagesimo. Sigeberti verò Francorum Regis post annos quadringentos à morte iterumque post quingentos & octo. Barnabæ corpus Anastasio imperante est inuentum expers ab omni corruptione post annos ferè quingentos ab obitu ipsius. Item aliorum multorum, quos esset longum recensere. Ac satis sit retulisse quod scriptis mandauit Gregorius presbyter Cæsari-

S. Antonomi. (k) *Ap. Sur. to. 5. 12. Sept.* *S. Rainaldi.* *S. Sigeberti.* *S. Barnabæ.*

sariensis, commune fuisse cunctis Episcopis Catholicis, qui synodo Nicænæ interfuerunt, vt eorum corpora per multa annorum curricula perstiterint illæsa. Illud sanè, quod nostra quoque memoria sub Clemente VIII. Romæ, innumera hominum millia spectarunt, corpus sanctissimæ Virginis & Martyris Cæciliæ, integrum & illæsum, cum recentibus vulneribus fluido cruore manantibus, & integris vestibus, post mille propemodum, & trecentos annos, eiusmodi est, vt meritò multos, etiam obstinatissimos hæreticos, rapuerit in summam admirationem.

Episcopi Nicænæ Synodi.

S.Cæciliæ.

CAPVT XXIII.

DIVINA PROVIDENTIA IN RELIQVIIS SANCTORVM conseruandis.

PRæter eorum Sanctorum historias, quorum iam superius libro primo, & hoc præsenti meminimus, ex Bozio (a) adhuc aliquot addemus. Corpus S.Luciani cum fuisset proiectum in mare, delphines illud excepere, vt memoriæ prodidit Metaphrastes, & ad littus aduexere illæsum; quod acceptum Christiani honorificè condiderunt, cadauera similiter SS.Hermili & Stratonici in fluuium proiecta integra ad ripam Chri-

(a) Lib. 15. c.62.

Diuina prouidentia circa corpus S.Luciani.

SS.Hermili & Stratonici.

Christiani inuenerunt. Corpus S.Vincentij Martyris cum feris, vt deuoraretur, esset obiectum, coruus defendit; in mare mox demersum, quamuis ingenti lapide ad collum ligato prægrauaretur, enatauit ad littus, ac fæmina pia in somnis admonita conquisitum sepeliuit honesto loco; meminerunt tantæ rei Prudentius Hispanus, (b) Gregorius Turonensis Gallus, (c) Augustinus Africanus, (d) S.Leo Papa Italus, (e) Denique Græci, vt habet Metaphrastes. *S.Vincentij.* *(b) Hymno 5.* *(c) De glor. Mar. cap. 89. & 90.*

S.Anastasij martyris carnes canibus datæ sunt in cibum: at illi aliorum cadauera absumentes, eas custodierunt: è Persis quidam cum sæpè supra eius corpus stellam vidisset, narrauit id cuidam, qui canes, quod Reliquias illi tuerentur, admiratus erat. Audierunt hæc narrantem quidam è Christianis captiui, qui in somnis à sancto & ipsi admoniti corpus eius acceperunt; & honesto loco, rem diuulgantes, reposuerunt. *(d) Ser. 8. 9. inter 17. 12. de Sanctis.* *(e) Ser. de S. Vincent.* *S. Anastasij.*

Martianus presbyter imperante Martiano vixit: is accepto in somnis responso condidit Constantinopoli Isidoro martyri templum, in quo posuit eius Reliquias, quas impij inhumatas relinquerant, & Christiani clam quondam sustulerant. *S. Isidori.*

Corpus sanctæ Agathæ iacebat in sepul- *S. Agathæ.*

pulchro quodam, cui tabulam marmoream iuuenis ignotus impoſuit; is ingreſſus Catanam cum centum pueris pulcherrimis auolauit. erat inſcriptum tabulæ: *Mens ſancta, honor in* DEVM *voluntarius, Patriæ redemptio.* Meminit huius rei Fazelus in hiſtoria ſua.

S. Floriani. Floriani corpus cùm proiectum fuiſſet in fluuium, delatum ad ripam protexit aquila, donec ille per viſum apparuit cuidam matronæ religioſæ, iuſsitq; vt illud curaret.

S. Victoris. Victoris Mauri corpus feris eſt datum deuorandum; ſed duæ beſtiæ, altera ad pedes, ad caput altera, intactum corpus ſunt tutatæ; donec Marinus Epiſcopus illud ſepeliuit. refert id qui rei interfuit Notarius Maximianus.

S. Barnabæ. Apoſtoli Barnabæ corpus olim vbi certò requieſceret, erat ignotum: ſed is ter Anthemio Salaminæ Epiſcopo per viſum in ſomnis adſiſtens, vbinam iaceret oſtendit, ſimulque docuit, qua ratione Petri Gnaphei dolos à ſe repelleret. *S. Dulæ.* Dulæ martyris corpus cùm fuiſſet in vallem proiectum duo paſtorum canes cuſtodire illud cœperunt, & alter quidem conſtitit ad eius caput abigens beſtias accedentes, alter pallium dentibus captum detulit ad illud, quo poſſet inuolui; quod Simeon Metaphraſtes in eius vita refert.

Im-

Impij cùm Geruasium, Protasium, Nazarium, Celsumque interfecissent, eorum Reliquias, vt ingloriæ essent, occuluerunt: sed ipsi sancti in somnis adstiterunt cuidam indicantes vbi iacerent, qui repertas nobili loco reponi curauit. (f) Ambrosius deinde imperante Theodosio illas in lucem maxima eorum cum gloria reuocauit.

SS. Geruasius &c.

(f) D. Ambros. epist. 85. ad soror.

Corpora SS. quadraginta Martyrum combusserunt impij, deinde in rapidum fluuium Reliquias proiecerunt, ne qui honor ijs haberetur: sed illæ ad ripam delatæ, stellarum instar fulgebant: collegitque Petrus Episcopus admonitus in somnis, & honorificè sepeliuit, vt Simeō Metaphrastes narrat in eorum vita. (g)

SS. 40. Mart.

(g) Ap. Sur. to. 2. 9. Martij.

Cùm Reliquiæ Euphemiæ Martyris trāslatæ Constantinopolim fuissent, & innumera ederent miracula, Leo Isauricus, clàm sublatis illis, eorum loco ossa arida imposuit, ipsas cum loculo in vndas maris proiecit, palamque prædicare cœpit detectas ab se fraudes à Catholicis in earum cultu factas: inspexisse ossa arida & fætentia in arca contineri. Accedunt homines, ac rem vident. Accidit interim, vt nautæ quidam factum ignorantes in nauim suam loculum susceperint, putantes aliquid opulenti in illo haberi, aperiunt, ac mirifico odore, qui inde ex-

S. Euphemia.

 hala-

halauit, perfusi cognouerunt esse sacras Reliquias; ignari quænam forent, eadem nocte viderunt lumina, & cereos, virosque candidissimos DEVM laudantes. Cumque appulissent Lemnum, & somno se dedissent, viderunt in quiete Glyceriam martyrem occurrere Euphemiæ Virgini, amplecti illam, exosculari, aduentumque gratulari, ex eo cognouerunt, cuius essent illæ Reliquiæ, ter inde soluentes, ter ventis reflantibus eodem reiecti sunt. Denique Euphemia adstitit illis in somno; & quæ foret edocuit; ac se ibi velle subsistere edixit, ex quo fuerat ab impio Leone in mare proiecta, latenter itaque repositæ fuerunt ob Imperatoris metum Reliquiæ in Insula Lemno, donec mirabili quodam modo Constantinopolim reductæ fuerunt imperantibus Irene & Constantino. Hæc illius temporis æqualis Episcopus Constantinus, qui se adfuisse his rebus testatur, remq; vti narrauimus, scriptis mandauit.

7. Mart. Afric. Corpora septem Martyrum Africanorum, regnante Hunerico, vti testatur in historia Victor, in aquas maris demersa, continuò sunt littori restituta.

S. Antonomi. Antonomi cadauer cùm similiter ignobili loco iaceret, sanctus bis apparens cuidam militi Zenonis Imperatoris excubi-

cubitori mandauit ædem vt conderet in eodem loco.

Cornelius Centurio Siluano Troadis Episcopo indicauit, vbi delitesceret absque vllo honore ipsius cadauer, mandauitque ibi templum condi. *S. Cornelij.*

Sosij Martyris corpus qua ratione mirabiliter inuentum fuerit, explicat latè Ioannes Diaconus proprio libello. *S. Sosii.*

Callistrati & sociorum corpora membratim consciderunt impij, ne colligi possent à Christianis: nihilominus collecta ingenti sunt habita honore, & miraculis diuinitus illustrata. *SS. Callistrati &c.*

Charitines martyris corpus inuolutum sacco in profundũ maris est demersum, tres dies mansit occultatum, donec ad extremum littori restitutum, Claudius, qui Virginem nutriuerat, excepit. *S. Charitines.*

S. Gereonis & sociorum cadauera, in altissimum puteum deiecta, similiter & Victoris in loca palustria fuerunt abstrusa; sed DEVS illa miraculis in lucem protulit. *S. Gereonis &c.*

Quintini Martyris corpus desoderunt impij, & occuluerunt alueo fluminis, in quo iacuit annos LV. in tenebris. Accidit deinde vt imperantibus Constantini filijs Eusebia quædam cæca Romæ sæpiùs DEVM precaretur, vt ipsi lumen oculorum restitueret, tandem apparuit illi An- *S. Quintini.*

gelus ei dicens, vt Augustam Veramanduorum pergeret: fore enim vt in Sonna fluuio corpus Quintini inueniret, inde acciperet sanitatem: abit illa; inuento loco, precibus se dat, & mirabiliter cadauer ipsum se in altum extollens enatat ad ripam; caput similiter aliunde eodem se contulit.(h)

(h) Sigeb. in Chron.

Narrat Gregorius Turonensis, (i) qui ante annos mille scripsit Latinè, & Metaphrastes, qui ante annos septingentos quinquaginta, quibus Nicephorus alijq; consentiunt, Clementis Papæ in Turcicam Chersonesum relegati corpus fuisse in medias vndas maris anchora ad collum ligata demersum, sed mox ad preces Christianorum mare tribus milliarijs recessisse à littore, marmoreumque templũ fuisse detectum, ad quod illi pergentes Sancti corpus ibi conditum decenter inuenerunt. Quin anniuersaria die Martyri sacra mare septem totos dies per tria milliaria abscedebat à terra, iter tutum præbens proficiscentibus ad illud inuisendum & colendum.

(i) De glor. Mart. c. 35. 36.

S. Clementis.

Tradit Sozomenus Pulcheriæ Augustæ Theodosij Imperatoris sorori Thyrsum Martyrem ter apparuisse, simulque quadraginta Martyres militaribus indutos vestimentis, & indicasse locum, in quo altè defossæ erant eorum Reliquiæ, quæ multo labore & industria mirabiliter inuentæ fuerunt.

S. Thyrsi.

Cum

Cum Daras vrbem Anastasius Imperator, (k) qui posteà impietati manus dedit, munisset, & amplificasset, Bartholomæi Apostoli Reliquias diuinitus inuentas eo in loco reposuit; illi namque apparuit Apostolus dicens sibi à DEO vrbis tutelam commissam.

(k) *Hist. trip. lib. 6. c. 11.*
S. Bartholomæi.

Iuliano imperante Gazæi Eusebium, Nestorium, & Zenonem Christianos interfecerunt, corpora eorum combussere, quæcumque ossa propter soliditatem flamma non combussit, camelorum, atque asinorum, quæ disiecta ibi erant, ossibus miscuerunt. (l) Sed noctu DEVS fœminæ piæ, quænam forent Martyrum Reliquiæ, significauit, quas illa collectas, vrceoque inclusas apud Martyrum nepotem Zenonem ipsi ignotum deposuit, numinis indicio ad eius domicilium, nam latebat ob impiorum inquisitionem, deducta. Placet hic adscribere quæ de Olympiade narrat Nicephorus Callistus. (m) *Postquam Nicomediæ S. Olympias obijt diem suum, priusquam sepulturæ mandaretur, temporis eius Nicomediensi Episcopo in somnis præcepit, vt venerandas Reliquias arculæ impositas alto mari committeret, & quocumque locorum illa cursum teneret, ibi corpus eius sepeliretur. Id ab Episcopo factum; & arca ad maritimum locum delata est, vbi*

(l) *Sozom. lib. 5. cap. 8.*
S. Olympiadis.
(m) *Lib. 13. cap. 24.*

Apostoli Thomæ delubrum positum est: ab incolis locus is Bothri dictus, vbi cælesti visu admoniti, qui regionem eam incolunt, & sacras eius Reliquias ad sanctiorem sacrificij aram reposuerunt, quas innumerabilium morborum curâ dæmonumque expulsione, & alijs prodigijs quæ supra hominum opinionem ibi sunt exhibita, DEVS dignatus est. Memoriæ quoque proditum est, posteà incursione hostili templum hoc Apostoli incensum fuisse, & arcam quidem flammis consumptam, ipsas verò Reliquias in fluctus maris proiectas, & eo loco vndam cruentam constitisse. Hæc Nicephorus. Saxones olim nondum Christo addicti inflammarunt ædem S.Lebuini, triduo quæsierunt eius sepulchrum, neque inuenire potuerunt, in animo namque habebant illud in nihilum redigere. Sed post multa annorum curricula idem Lebuinus apparuit in somnis Ludgero, & quo loco esset ipsius sepulchrum indicauit.

S.Lebuini.

S.Eadmundi.

Cùm caput Eadmundi Regis Anglorum esset ab impijs in loco sentibus horrenti occultatum, sua se voce prodidit.

S.Simonis Trid.

Simon puer Tridentinus haud ante multos annos à Iudæis miserrimè est trucidatus, corpus eius in vndas est demersum; at miracula effecerunt, vt apertè liqueret quid illi contigisset. Cor-

Corpus S. Stanislai variè discerptum, datumque feris, vt deuoraretur, aquilæ quatuor circumsteterunt, ac tutatæ sunt à bestijs, donec eius frusta nonnulli colligentes, & ad locum quemdam delata reponentes, mox integrum mirabiliter illæsumque cadauer inuenerunt. *S. Stanislai.*

Cum diu ignoratum fuisset, in quo templi nostri loco corpus S. Afræ Martyris ac Patronæ nostræ esset reconditum; S. Vdalricus Episcopus Augustanus Deũ ieiunijs & orationibus diu exorauit, vt illud sibi reuelare dignaretur. Noctu igitur quiescenti S. Afra apparuit, & vbi corpus suum esset reconditum, demonstrauit. *S. Afra.*

Sed hæc in medium attulisse sufficiat, vt constet quanta sit diuinitatis prouidentia in Sanctorum suorum *Reliquijs* conseruandis; vt sciamus illos præcipua membra fuisse Ecclesiæ DEI, in qua nos etiam doctrinam illorum sequuti, permanemus; & à qua quicunque excluduntur, à DEI societate necessario remouentur.

LIBER V.

CAPVT I.

QVANTA REVEREN-TIA SS. RELIQVIAE tractanda.

NON immeritò sanctus Gregorius verè Magnus dixit: (a) *Romanis vel totius Occidentis partibus omninò intolerabile est & sacrilegum, si Sanctorum corpora tangere quis fortasse voluerit: quòd si præsumpserit, certum est, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Græcorum consuetudine, qui ossa leuare Sanctorum se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus, &c.*

(a) *In regist. lib. 3. epist. 30. ad Constant. Aug.*

Reliquias tangere periculosum.

Hinc in Concilio Coloniensi III. hoc decretum legitur: (b) *Antiquissimũ canonibus in plerisque etiam Concilijs sancitum est, ne laici secus altare inter clericos ministrẽt, neue licentiam habeant ingrediendi in sacrarium, quod Græci Diaconium appellant, neue vasa Dominica contingant: Præterea ne* RELIQVIAE SANCTORVM *& vestimẽta Ecclesiastica, quæ honesta esse decet, nisi tantùm à sacra-*

(b) *par. 3. c. 31.*

Laici Reliquias ne contingant.

cratis ministris attrectentur; adeò vt ne sacratis quidem DEO *fœminis, ac monachibus aut lectoribus etiam sacra vasa vel sacratas pallas contingere, vel incensum circa altare præferre licuerit, verùm id solis Diaconis permissum sit, expressum autem laicis vetitum ne pallas Ecclesiæ, vela, aut altaris ornamenta abluant.* Neque Patres hic scripturis destituuntur.

Porrò ne Reliquiæ venales exponantur, sapienter cauit Concilium Lateranense sub Innocentio III. (c) *Cùm ex eo quod quidam*, ait, *Sanctorum Reliquias exponunt venales, & eas passim ostendunt, Christianæ religioni sit detractum sæpiùs, ne detrahatur in posterum præsenti decreto statuimus, vt antiquæ Reliquiæ à modò extra capsam non ostendantur, nec exponantur venales. Inuentas autem de nouo, nemo publicè venerari præsumat, nisi prius authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Prælati verò de cætero non permittant illos, qui ad eorum Ecclesias causa venerationis accedunt, vanis figmentis, aut falsis decipi documentis, sicut & in plerisque locis occasione quæstus fieri consueuit. Eleemosynarum quoq; quæstores, quorum quidam se alios mentiendo, abusiones* (c) Can. 62. Quæstores eleemosynarum.

 non-

nonnullas in sua prædicatione proponunt, admitti, nisi Apostolicas, vel diœcesani Episcopi literas veras exhibeant, probibemus. Hoc decretum renouat Concilium Narbonēse, canone vltimo. Hoc quoq; repetit Concilium Tridentinum (d) *Omnis, inquit, superstitio in sanctorum inuocatione, reliquiarum veneratione, & imaginum sacro vsu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, &c.*

(d) *Sess.* 25.

Vidimus superioribus libris, quo cultu ac veneratione sint habita sacra sanctorum ossa ac cineres, nunc videre lubet quibus pœnis affecti sint ij, qui eorundem Reliquias minùs reuerenter, vel etiam ignominiose tractauerunt, vindicante Deo ab omni ignominia memoriam iustorum.

CAP. II.

DE IVDAEO CVI VTRAQVE MANVS EXARDESCENS decidit, quod loculos seu feretrum Diuæ Virginis impie & irreuerenter contrectasset.

POstquam sacratissima DEI mater animam DEO reddidisset, (a) Apostoli, & qui præterea ibi aderant viri egregij, lectum corona circumdantes reuerenter illam exosculantur. Ad quam

(a) *Niceph. Callist. hist. Eccles. lib. 2. cap. 22.*

quam deinde quam plurima fiunt miracula, cæci namque, præter ſpem exſpectationemque omnem, oculis ſuis ſolem cernunt, ſurdis auditus ſuus datur, claudi greſſus recipiunt: &, vt ſemel dicam, omne morbi genus attactu ſolo prorſus cedit, & profugit. Deinde cereis ardentibus prælatis, & vnguentis floribuſque ſparſis, atque Angelis cælitus feretrum vel præeuntibus vel ſtipantibus, vel etiam conſequentibus, diuinis patribus & Apoſtolis diuina quædam carmina concinentibus; intellectualis illa atque ſpiritualis arca, ex Sion in Gethſemani, Apoſtolicis eam geſtantibus manibus fertur.

Etenim in hanc tantam lætitiam moleſtum & durum quiddam incidit, quod ſilentio prætereundum non ſit. Cum enim diuinum illud tabernaculum, ita vt dictum eſt, ad Gethſemani portaretur, vbi DEI genitrix ſepeliri ſe mandauerat; Iudæi inuidia tabeſcentes, cum occultare non poſſent eum, qui in mentibus eorum fouebatur, liuoris affectum produnt. Inter quos alijs quidam confidentior, furibunduſque magis, (erat autem ex Sacerdotum ordine) cum ſacrum tabernaculum portaretur, impetu quodam præter rationem percitus, in id ferebatur, humi proſternere ſacram illam arcam, atque peſſundare in animo

ha-

Iudæo impie reliquias D. Virginis inuadenti manus decidunt.

habens. Sed enim vindicta nequaquam moratur: Namque ab vlnis manus eius recisæ, ex feretro dependent. At quæ diuinâ natiuitate sua lætitia habitabilem orbem omnem repleuerat, ne in obitu quidem cuipiam molestiæ aut ærumnæ alicuius caussa futura erat. Porrò is cui hoc contigerat, cum malus quidem, sed tamen non prorsus desperatus, & incurabilis esset, pœnitentiæ ritè prætendit remedium, & quoniam manus, quas non habebat, prætendere nequit, lacrymas profert, & simul cum ea resipiscentiæ disciplina, cura quoque adest. Feretrum enim consistit, & manus, ad refectionem, vnde deciderant, accomodatæ (Petri id iussu factum) confestim pristinum statum recuperant.

Eidem resipiscenti restituuntur.

CAPVT III.

ALIORVM QVORVNDAM POENAE SACRAS RELIQUIAS VIOLANTIUM *enarrantur.*

QVomodo clauem S.Petri Apostoli despiciens malo spiritu arreptus mortem sibi ipsi consciuerit, narrat S.Gregorius Magnus ita scribens: (a) *Dum eam* (clauem) *quidam Longobardorum ciuitatem ingressus in Transpadanis partibus inuenisset; quia S.Petri cla-*

(a) Lib. 6. epist. 23.

Per clauem S.Petri grande miraculū.

clauis esset, despiciens: sed pro eo quod auream vidit, facere sibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum, vt eam incideret: qui mox cultellum, cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per spiritum sibi in gutture defixit, eademque horâ defunctus cecidit.

Anno quarto Clodouæi Regis Franciæ (b) tanta rerum inopia fuit, vt passim in regno Franciæ multi fame perirent. Cuius rei motu Clodouæus feretrum Dionysij, quod ex solido argento erat, erogauit. Hic brachium S.Dionysij aliquando non satis reuerenter tractans, mente captus est, tantaque aëris obscuritas intra templum secuta est, vt qui illic aderant pauitantes citissimè aufugerent. Rex verò, quamuis nondum sanam mentem recepisset, brachij partem oblatam, auro circumdatam, & gemmis multis decoratam corpori restituit. Verum nec sic sanus effectus (licet meliuscule haberet) duobus annis hoc modo afflictus, decimo sexto regni sui anno interijt.

(b) *Ioan Laziar. lib. 3. hist. c. 60.*

Clodouæus Francorum Rex irreuerentius tractās reliquias B. Dionysij castigatur.

De sanctissimi Patroni nostri Vdalrici Episcopi Augustani Reliquijs hæc annotarunt, qui Inuentionis & Translationis illius historiam conscripserunt: *In ipso sepulchro Episcopus os quoddam de costa*

Reliquias S. Vdalrici indigne tractans Episcopus punitur.

sta S. Confessoris temerè surripuit, & in frusta comminutum indecenter pro reliquijs marsupio imposuit. Per omnia etiam animo immutatus, valdè infestus loco extitit, quod reliquiarum S. Vdalrici pro sua voluntate compos existere non potuit, congregatione S. Afræ vehementer renitente, persequutionem magnam aduersus locum mouit. Vnde & Dominus eum eodem anno vita priuauit, sicut in consequentibus patebit.

Quidam famulus Vdalscalci Præpositi maioris Ecclesiæ, qui postmodum Episcopus factus est. à quo & hoc ipsum, quod narramus, audiuimus, videt beatum Vdalricum in visu quasi turbatum & ira commotum, cui inquit: O sancte DEI *Vdalrice, quid caussæ extitit, quia sic in mærore, & non in vultus tui hilaritate videris? Ad hæc beatus Vdalricus: Super Episcopo illo, qui os de costa mea arroganter comminuit, & cum alijs reliquijs corporis mei temerè & indignè egit, moueor & mouebor, & tam diu diuinitati hoc conquerar, donec ipse pœnas exsoluet.*

Non multò post, cum sanus & incolumis esset Episcopus, subitò arreptus febribus, intra paucos dies defunctus est, & post mortem viris religiosis sæpius apparuit, exponens quali iu-

dicio

ditio subderetur, & quibus tormentis affliceretur pro eo quòd in S. Vdalricum peccauit: & locum ipsius & fratres sæpius infestauit, frequenter monens & rogans, vt ab ipsis indulgentiam consequi posset. Cui fratres intuitu misericordiæ (sicut pro inimicis orare iubemur) sæpius veniam optant, & pro ipso preces fundunt.

CAPVT IV.
AD SACRAS RELIQVIAS BLASPHEMANTES GRAuiter puniti.

LVpum Antiſtitem apud Tricaſſinorum Campaniæ vrbem ſepultum, (a) nulli habetur incognitum. Ad cuius baſilicam Mauri cuiuſdam ſeruus negligentia admiſſa confugit. Frendens verò dominus eius, de veſtigio perſecutus, ingreſſus baſilicam, nec oratione proſtratus, blaſphemias in ſanctum euomere cœpit, ac dicere. Et tu Lupe, ſeruum meum auferes, & propter te non licebit mihi in eum debitam vltionem exercere? & exerta manu ſeruum trahere cœpit dicens: Non mittet hodie hic Lupus manum ſuam de ſepulcro, vt eruat te de manibus meis. Hæc dicente miſero, extemplo lingua, quæ in ſanctum blaſphemias effudit, diuinitus obligatur: atque mutatus homo, debacchari cœpit

(a) Surita lib. 4. c. 67.

Blaſphemus ad ſepulcrum S. Lupi luit pœnas.

per

per totam ædem dans mugitum, vt pecus, sermonem vt homo non proferens. Cumque hæc suis nunciata fuissent, apprehensum duxerunt ad domum suam. Vxor verò eius multa munera in basilicam posuit: sed hic tertia die cum graui cruciatu vitam finiuit. Quo defuncto, mulier quæ dederat recepit: seruus, tamen permansit ingenuus.

(b) Adelin. Sagien. Ep. apud Sur. 22. April.

Cùm per merita beatæ Virginis (b) Oportunæ Abbatissę innumerabiles ægroti in castro Syluanectensi sub Hugboldo Comite sani efficerentur, Syluanectenses omnes locum illum, vbi ejus sacrum corpus asseruabatur, venerari cœperunt. Ecce autem Sacerdos quidam, Alimarus nomine, inuidiæ stimulis percitus, dixit hominibus eò aduentantibus: Non est hoc in loco vllum sanctæ alicuius virginis corpus, sed merum phantasma est, quod hic colitur. Peruenit hoc ad aures Roberti DEO chari, & religiosi viri, nunc verò etiam Episcopi, aitque ad illum: Eia miser, quâ fronte tu isthæc ausus es dicere: Certè propediem experieris, num reuerà hoc in loco S. Oportunæ corpus habeatur. Eodem die blasphemus ille in cœnaculum ascêdere volens, fractis ceruicibus non diu post expirauit: iamque vltimum trahens spiritũ, ante aram deportatus, propter blasphemiam suam se

Reliquias S. Oportunæ cõtemnens diuinam experitur vindictã.

faſſus eſt diuina animaduerſione percuſſum.

Fuit in (c) Aruerna vrbe admirabilis ſanctitatis Amabilis quidam vici Ricomagenſis presbyter, qui virtutibus magnis præcellens, ſæpè ſerpentibus dicitur imperaſſe. Nam ad huius tumulum cùm Dux Victorius deſpexiſſet orare, affixo è regione equo, nequaquam poterat amouere. Quem cum flagris, ſtimuliſque vrgeret, & ille quaſi æneus ſtaret immobilis, tandem aliquando Dux à ſuis commonitus, qui, vt ita dicam, ipſi pecudi ſimilis erat factus, ad orationem deſcendit; cumque fideliter oraſſet, quo voluit, iuit. Ad huius tumulum energumenum vidi mundatum, periurantem diriguiſſe vt ferrum, crimen confeſſum, illicò abſolutum.

(c) Greg. Tur. de glor. Conf. cap. 33.

Ad ſepulcrum S. Amabilis orare deſpiciens Dux, diuinitus compellitur.

Anno à morte ſancti Thomæ Aquinatis quadrageſimo ſecundo, (d) Canonicus quidã Salernitanus ſacras Reliquias inquirens, quas reponeret in ſacello ſanctæ crucis ab ipſo conſtructo, ad caſtrum vbi manus ſancti Doctoris ſeruabatur, aduenit, multaſque ipſi oſtenſas Sanctorum reliquias reuerenter, vt par erat, venerabatur. Cùm autem diceret Sacellanus Caſtri, ſe adhuc maioris pretij habere reliquias, nempe manum integram F. Thomæ Aquinatis, ille ſpreuit, & irriſit, di-

(d) Ioan. Garzo in vita eius apud Sur. to. 2.

Vltio diuinà in negantem ſanctitatem S. Thomæ de Aquino.

dicens; illum sanctum non esse, sed vnum ê familia sancti Dominici. Mox verò contemptum secuta est vindicta cœlestis. Nam tremor illum ingens apprehendit totius corporis, & caput eius mirè intumuit. Tum ille ad se rediens, seseque temeritatis arguens, veniam petijt à Sacerdote, manumque S.Thomæ reuerenter exosculans, & tremore, & tumore se sensit liberatum.

CAPVT V.

DIVINA VINDICTA IN SEPVLCHRORVM SANctorum violatores.

(a) Surita libro 4. c. 69.

CVM Philippus Galliæ Rex, (a) bello in Petrum Aragonum Regem moto Gerundam cœpisset, eius milites, qua erant insolentia, vi templis illata, sancti quoque Narcissi Patroni & tutoris illius vrbis sepulchrum diripuerunt: sed inde egressa muscarum inaudita forma & magnitudine examina, & magno impetu in multitudinem inuolantes, sic terruerunt, & acutis ac venenatis morsibus vulnerarunt, vt intra paucos dies hominum plus quadraginta, & equorum plus XXIV. millia ea pestis absumpserit. Quin etiam Petrus ipse Aragonum Rex, in epistola ad Sanchium

Muscis necātur multi milites S. Narcissi sepulcrū diripientes.

Ca-

Castellæ Regem data, scribit, equos ad XL. millia perijsse. Neque multo post Rex ipse Galliæ mortuus est Perpiniani. Ex hoc tristi euentu abierunt in prouerbium, *Muscæ S. Narcißi*, vt annotat Baronius in Martyrologio XVIII. Martij, qui etiam Philippo iungit Carolum Siciliæ Regem.

Anno decimo octauo Imperij Mauritij, (b) Chaianus cum barbaro exercitu suo Diriziperam venientes ciuitatem depopulati sunt, & S. Alexandri martyris Ecclesiam incenderunt, sepulcrumque illius argenteo tecto coopertum spoliant. Sed & iniurijs quoque Martyris corpus afficiunt, multamque in Thrace prædam capientes, epulabantur splendidè, contra Romanos elati. DEVS autem vindictam Martyris faciens Alexandri, pestilentiam languoris barbaris intulit, & in vno die septem filios Chaiani per febrem & inguinariam pasionem occidit, vnà cum alijs turpibus multis, ita vt post triumphale gaudium cum carminibus, & canticis, lamentationes & lacrymæ, & luctus sine consolatione posideret barbaros.

(b) Eutrop. lib. 17. Rer. Roman. Niceph. lib. 18. c. 28.

S. Alexandri reliquias violantiũ pœna.

Silentio minimè præteribo miraculum quod post mortem Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani contigit. Lydus Sacellarius (c) quidam suggestione Photij impudentis monasterium ingressus,

(c) Ex Niceta Dauide in vita S. Ignatij.

S. Ignatij Patriarchæ Constant. sepulcrum violans grauiter punitus.

ſus, vt omnes qui in ſancto eius ſepulcro preces effundebant, vt ſuis egeſtatibus opem ferret, verberibus & iurgijs pelleret: & hoc cum feciſſet, addidit malum malo, & præcepit, vt prope ſacrum ſepulchrum effodiatur, & profunde terra euertatur, ea videlicet occaſione eo quod eo in loco à Patriarcha multum aurum alias fuerat occultatum: reuera autem, vt hoc dedecus impingeret venerandis illis reliquijs: ita inuidia omnino illum occupauerat, inſanam videlicet eius animam, vt ne poſt mortem quidem illum quieſcere ſineret. Sed vna cum impio illo mandato impium etiam ira à Deo miſſa adorta eſt, non ferente in hoc loco Dei longanimitate, ſed velociter merito inferente vindictam. Quamprimum igitur vehementer clamans ſuperbus ille, ac ſi interficeretur, ſurſum ac deorſum proprio ſanguine inſtar fluuij ex ore manante cruentatus, & alienis manibus deportatus, quaſi voce carens, quatuor diebus ita tormentatus efflauit animam.

CAPVT VI.

QVALITER NOSTRO SECVLO IN SANCTORVM RELIQUIAS SÆUITUM. Ac primùm in Anglia.

ANNO Christi M.D.XXXVIII. apud Anglos facinus insolẽs Rex Henricus designauit in cineres(a) & ossa beatissimi Martyris Thomæ, Cantuariensis quondam Archiepiscopi. Eius corpus in theca gemmis & auro mirificè exornata asseruabatur iam aliquot seculis, eratque eius martyris celeberrima memoria ob edita diuinitùs ad eius sacros cineres innumera miracula. Visebantur illic gem̃æ incomparabiles: quædam vincebant oui anserini magnitudinem, pietatis causa eò missæ à Monarchis & Regibus, ad martyris memoriam ornandam. Verùm Henricus Rex nescio quorum instigatus consilio, nõ contentus gemmis & auro nudasse eius monumentum, etiam ipsas venerandas reliquias exussit, *& cineres in ventum spargi iussit,* vt loquitur Pontifex in Bulla.

(a) *Surius in comment. rer. gest.*

S. Thomæ cineres exuruntur.

Verùm præstat hac de re Nicolaum Sanderum audire.(b) Deinde ad tumulos Martyrum progreditur (Henricus Rex) quos omnes expilabat, Reliquiasque indignis-

(b) *Lib. I. de schis. Angliæ.*

S. Ignatij Patriarchæ Constant. sepulcrum violans grauiter punitus.

ſus, vt omnes qui in ſancto eius ſepulcro preces effundebant, vt ſuis egeſtatibus opem ferret, verberibus & iurgijs pelleret: & hoc cum feciſſet, addidit malum malo, & præcepit, vt prope ſacrum ſepulchrum effodiatur, & profunde terra euertatur, ea videlicet occaſione eo quod eo in loco à Patriarcha multum aurum alias fuerat occultatum: reuera autem, vt hoc dedecus impingeret venerandis illis reliquijs: ita inuidia omnino illum occupauerat, inſanam videlicet eius animam, vt ne poſt mortem quidem illum quieſcere ſineret. Sed vna cum impio illo mandato impium etiam ira à Deo miſſa adorta eſt, non ferente in hoc loco Dei longanimitate, ſed velociter merito inferente vindictam. Quamprimum igitur vehementer clamans ſuperbus ille, ac ſi interficeretur, ſurſum ac deorſum proprio ſanguine inſtar fluuij ex ore manante cruentatus, & alienis manibus deportatus, quaſi voce carens, quatuor diebus ita tormentatus efflauit animam.

CAPVT VI.

QVALITER NOSTRO SECVLO IN SANCTORVM RELIQUIAS SÆVITUM. Ac primùm in Anglia.

ANNO Christi M.D.XXXVIII. apud Anglos facinus insolēs Rex Henricus designauit in cineres(a) & ossa beatissimi Martyris Thomæ, Cantuariensis quondam Archiepiscopi. Eius corpus in theca gemmis & auro mirificè exornata asseruabatur iam aliquot seculis, eratque eius martyris celeberrima memoria ob edita diuinitùs ad eius sacros cineres innumera miracula. Visebantur illic gēmæ incomparabiles: quædam vincebant oui anserini magnitudinem, pietatis causa eò missæ à Monarchis & Regibus, ad martyris memoriam ornandam. Verùm Henricus Rex nescio quorum instigatus consilio, nō contentus gemmis & auro nudasse eius monumentum, etiam ipsas venerandas reliquias exussit, *& cineres in ventum spargi iussit*, vt loquitur Pontifex in Bulla.

(a) Surius in comment. rer. gest.

S. Thomæ cineres exuruntur.

Verùm præstat hac de re Nicolaum Sanderum audire.(b) Deinde ad tumulos Martyrum progreditur (Henricus Rex) quos omnes expilabat, Reliquiasque in-

(b) Lib. I. de schis. Angliæ.

Tres præcipui Angliæ antiqui Martyres. dignissimis modis tractabat. Erant autem in vniuersa Anglia, tres martyrum Anglorum præcipuæ, maximæque celebritatis ac venerationis memoriæ: Prima, S.Albani, qui primus (quod scitur) in illa insula, sub Diocletiano Imperatore anno Domini trecentesimo, sanguinem pro Christianæ fidei confessione effudit; adeò vt meritò Anglorum protomartyr appelletur. Secunda erat Edmundi Regis, qui propter eandem fidem à paganis extinctus fuit, anno Christi D. CCC.LXXI.

Tertia D. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis fuit, qui pro iustitia & Ecclesiasticæ libertatis defensione plurima passus sub Henrico Rege secundo, martyrij palmam assecutus est, anno à partu Virginis millesimo, centesimo, septuagesimo primo. Horum trium martyrum præter cæteros insignia erant apud Anglos monumenta, Catholici populi & pijssimorum principum liberalitate cum instituta, tum aucta & ornata, plurimisque donarijs pretiosissimis cumulata; quæ omnia Henricus inuasit ac diripuit, tanta feritate ac indignitate, vt vir quidam doctus ac pius, qui sacrilegio interfuerat, his verbis de eo queratur.

Richardi Hilliardi de Henrici sacrilegio querela.

Si vna mecum lector adfuisses ac vidisses templorum profanationes, altarium euersiones

nes

nes, Donariorum ſeu oblationum direptiones, venerabilium Reliquiarum *ac imaginum indigniſsimos cum blaſphemijs contemptus ac violationes; non tibi (credo) temperaſſes à lachrymis, à luctu, à ſingultu; cum ea vidiſſes à Chriſtianis viris fieri, quæ à barbaris tyrannis, ac Chriſti iuratis hoſtibus nulla in hiſtoria perpetrata leguntur. O ſi in vitam rediiſſet, huius impij tyranni pius parens Henricus Septimus, qui tot & tantis monumentis Eccleſiam Angliæ decorauit, vidiſſetque à filio, quem ille tanta cura educandum curauerat, ea omnia diruta, quæ non ſolum ipſe eius pater, verum etiam omnes ante eum Chriſtiani Angliæ principes Deo dedicaſſent, maledixiſſet (ſcio) horæ in qua illum genuerat, & diei quo in lucem prodijt tam infauſtum piiſsimæ familiæ monſtrum.* Hæc ille.

Henrici odiũ in D. Thomã Cantuarienſem.

Henricus autem, etſi in omnes Angliæ ſanctos infeſtum bellum gereret, loculoſque diriperet, præ cæteris tamen omnibus glorioſiſsimum Thomam Cantuarienſem Martyrem, ingenti odio perſequebatur, tum quod in cauſſa non plane diſsimili, contra ſimilem ferè Henrici ſecundi nequitiam, ac tyrannidem, licet infinitis partibus minorem, Eccleſiæ libertatem defendendo, mortem obijſſet;

tum quod monumentum ipſius tantis opibus ac theſauris refertum erat, vt occaſionem quæri oportuerit, vnde expilaretur. Qui enim Regius quæſtor tunc erat, confeſſus eſt, tantam auri, argenti, ac lapidum pretioſorum, & ſacrarum veſtium vim, ex vno illo Diui Thomæ monumento ablatam eſſe, quanta viginti ſex plauſtra boum ingentia onerauerat: vt ex eo conijcere liceat, quam innumerabiles theſauros ex cæteris Sanctorum monumentis, atq; adeo ex templis, oratorijs, & monaſterijs omnibus idem Rex corraſerit.

Impietas Henrici inaudita in D. Thomã.

Diuum ergò Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum, ab annis pluſquam quadringentis pro fidei & iuſtitię defenſione occiſum; & Sanctorum catalogo tàm in terris, quam in cœlo aſcriptum; atq; infinitis miraculis illuſtratum; cauſſam iterum ad tribunal ſuum contumelioſiſsime dicere, poſt tot ſæcula coëgit: ipſumque perduellionis condemnatum inter Diuos amplius cenſeri vetuit. Imo in comitijs publicis ſanciuit, vt capitale crimen eſſet; ſi quis aut diem commemorationis eius ſacrũ celebraret, aut in ſacris precibus mentionem eius faceret, aut omnino eum appellaret ſanctum, nomenue ipſius in calendario Sanctorum, vllo ſuo in libro non deletum extare

tare permitteret, plurimaq; alia huiusmodi statuit ac perpetrauit.

Sub Elisabethæ Henrici filiæ regimine Oxonij meretriciæ Petri Martyris (c) coniugis ossa, è sterquilinio in quod coniecta erant, summo studio collecta, in vicinam Ecclesiam vbi primùm condita erant, reportantur: at non iam in pristinam sepulturam, sed summo scelere aperto sanctissimæ Virginis Fridisuidæ eius Templi & loci Diuæ Tutelaris antiquissimo monumento, in sacrum eius tumulum inferuntur, & eiusdem Diuæ venerabilibus Reliquijs ita permiscentur, vt in posterum inter vtrumq; morticinium discerni non queat, hoc impio addito Epitaphio: *(c) Id. Ibid. lib. 3.*

Hic requiescit religio cum superstitione. *Impium Epitaphium.*

Sic discernet viuorum & mortuorum iudex CHRISTVS.

CAPVT VII.

NON DISSIMILIS BARBARIES IN GALLIA perpetrata.

ANno Christi MD.LXII. Caluinistæ (a) Parisijs profugi, cum intra vrbem Aurelianensem admissi essent, in dies magis ac magis templa vastanda & expolianda & expilanda susce- *(a) Sur. comment. rer. gest.* *Tẽpla Aurelia vastantur.*

perunt, idque planè contra edictum, cuius se volebant videri patronos & conseruatores. Et primò quidem libuit illis impetum facere in Abbatiam quandam cuius templum vastauerunt, imagines confregerunt, sepulcra & fenestras vitreas dissiparunt, sedilia & quicquid ex ligno fabrefactum erat, Vulcano consecrarunt, & in eundem ignem coniecerunt libros sacros in Abbatia repertos, multis interim vsi petulantissimis sermonibus. Deinde suos eo equos introduxerunt stabulatum, tantaq; barbarie in illud monasterium sæuierunt, vt nullum eius murum integrum reliquerint. Quosdam etiam ex monachis, qui illic remanserant, ceperunt, coniectosq; in carcerem vi eo adigere voluerunt, vt ipsis indicarent sacras reliquias quas absconderant. Erant in ijs iuuenes quidam, qui magnis pollicitationibus inescati, sacra ossa prodiderunt: quæ illi scelerati & nefarij homines flammis exusserunt, vt quantum in illis erat, rursus beatissimos martyres semel pro Christo cæsos, ad carnificinam reuocarent.

Sacra Reliquiæ exustæ.

Ibidem illi sanctissimi Aniani, eius vrbis antiqui Episcopi, sacra ossa immanissimè tractârunt & exusserunt. Conculcabant homines impijssimi consceleratis pedibus sacrosanctam Eucharistiam, vel etiam

Item S. Aniani Episcopi.

etiam sclopetorum globulis traijciebant. Iidem monumenta omnia eleuatiora perfregerunt, & in plerisque ossa recondita combusserunt. Ipsum quoque cadauer regis Francisci eius nominis II. qui frater fuit Christianissimus æquè Christianissimi regis Caroli, in Galliâ posteà regnantis, in æde S.Crucis conditum combusserunt, animi crudelitatem in extinctum declarantes, quam in viuum non poterant.

Comburitur corpus Francisci 2. Regis.

Iidem quodam in templo cum nulla clinodia reperissent, statuam Ludouici XI. Gallorum regis, brachijs & cruribus amputatis, fædissimè truncârunt, mox etiam præfecto capite abiecerunt. Post effracto eius mausoleo, cadauer ad cineres vsque combusserunt.

Facinus sacrilegum in Ludouicum Regem.

Putantur in illo rege ea caussa tantam exercuisse immanitatem, quod ille hæreticos solitus fuerit seueriter castigare. Eadem barbarie vsi sunt in sacello Longoúillano, vbi conditi erant magnates plerique omnes è regio stemmate oriundi: quorum corpora conuulserunt, & membra cæsa canibus proiecerunt.

Pictauij quoque suæ atrocitatis exempla insignia isti perditi & miseri ediderunt. Asseruabantur ibi ossa *Hilarij* sanctissimi Pontificis, quem D.Hieronymus non immeritò vocat *tubam* Latini sermonis

Ossa S.Hilarij combusta.

S.Radegūdis. nis contra Arrianos, atque etiam *Radegundis* Reginæ Franciæ, cuius fuit eximia in DEVM pietas & vita ſanctiſsima: aliorum quoque ſanctorum. Hæc oſſa & ſacratas Reliquias illi impuri nebulones proiecerunt, & more ſuo combuſſerunt, vnà quoque bibliothecas inflammantes. Nolunt enim extare patrum monumenta, quibus eorum poſsint impia commenta facilè confutari.

Lugduni quoque præter alia facinora Euangelica, illius antiquiſsimi & ſanctiſſimi martyris *Irenæi* oſſa concremârunt, & in templa mirum in modum ſæuiêrunt, nè haberent Catholici vbi ſacrificarent. *Item S.Irenæi.*

Apud Turones illius itidem incomparabilis ſanctitatis Epiſcopi *Martini* ſacras reliquias in ignem proiecerunt, & cineres in aërem diſperſerunt. Sed quale hinc tulerint præmium, ita narrat Thomas Bozius: (d) *Cùm Caluiniſtæ Turonis oſſa S.Martini in ignem conieciſſent, ad internecionem cuncti à Catholicis miſerrimè bis fuère conciſi, vlciſcente* DEO *iniurias ſanctiſsimi viri.* *Et S.Martini.*

(d) De ſig. Eccleſ. tom.2. ſig. 96. c. 3.

CA-

CAPVT VIII.

CONSIMILIA FLAGITIA IN BELGIO, ET GERMAnia inferiore commissa.

ANNO Domini M.D.LXVI. 10. Augusti incitãte turbas apostata quodam Augustiniano, ipsis D.Laurétij ferijs sacellum eius apud Casletum Flandriæ vastatum est. Postridie Balliolani, ac XIII. eiusdem mensis Iperenses ordinum mendicantium aliaque monasteria & templa omnia tam intra quàm extra vrbes inuaserunt, imagines omnes, Christi crucifixi signa, altaria, baptisteria, Eucharistiæ ædiculas, organa, sedilia, sacella, suggestus, candelabra, codices confregerunt: ac deinde Casletani, Poperingani, Hondescotani, Rostrugani, Bergenses, Armenteriani, Rotomacenses, ac alij, aut saltem ab illis omnibus designati, ornamenta omnis generis, thesauros, calices, patinas, ampullas, thuribula, aut frustatim comminuerunt & inflammarunt, aut absportarunt: & quod est sanè apud homines è religione Christianos dictu quoque horrendum, sacrosanctam Eucharistiã homines impij & scelesti pedibus conculcârunt, confoderunt, ignibus iniecerunt: eodem modo etiam sacras tractantes RELIQVIAS

(a) Sur. in cõment. rer. gest.

Vastantur Ecclesiæ, & monasteria, cum sacra supellectili.

Iniuria in S. Eucharistiã, &c.

Di-

Diuorum : ſacro oleo & chriſmate calceos inunxerunt, miriſq; ludibrijs Chriſti à cruce pendentis & Sanctorum imagines exagitârunt, additis id genus planè barbaris vocibus: Si Chriſtus es, ſi filius DEI, ſi quis Sanctorum es, aut aliquid potes, dicito, Viue les geux : atque ita tuam imaginem non confringemus. Iam verò etiam vix vnquam præſtando ſtudioſorum, & totius Eccleſiæ damno deterrimi illi nebulones multas paſsim inſignes bibliothecas prorſus diſsipârunt & perdiderunt. Hæc autem tot tamque atrocia mala aliquot viles homunciones, & quidem perpauci, ab Auguſti die X. vſque ad XXV. eiuſdem, non ſine magnâ ad poſteritatẽ ignominia, per Flandriam, Hollandiam, Zelandiam & Friſiam perpetrârunt.

Bibliotheca perduntur.

Iconomachia Antuerpiẽſis.

Erat Antuerpiæ beatiſsimæ Virginis templum longè pulcherrimum, ſtructuris & picturis eximijs, multiſque maximi pretij rebus ornatiſsimum. In hac quidam ſceleratiſsimi & perditiſsimi ſcurræ plùs quàm Turcicam cœpêre iconomachiam, maximâ vi & incredibili furore diffractis, comminutis & diiectis ſtatuis, aris, imaginibus omnibus, ipſa quoque ædicula ſacroſanctæ Euchariſtiæ, cuius pretium ferunt exceſsiſſe ſummam multorum millium aureorum. Aras è

fun-

fundamentis conuulſerunt & confregerunt. Inde ad monaſteria & templa omnia progreſsi, eandem inſaniam declarârunt.

Hoc quidem memoratu dignum eſt, quòd cùm in æde primaria diu multumque ſudatum eſſet ab iconoclaſtis in deijcienda cruce Chriſti auguſtiſsima, vtriuſque ſanè latronis imagines adhuc permanere paſsi ſint. O miſeros, qui nec ipſam paſsi pro omnibus Seruatoris noſtri memoriam ſibi refricari conſpecta imagine ferre queunt.

XXII. Auguſti etiam Buſcoducenſes iconoclaſtæ in templo Diui Ioannis, cui ad ſummum ſplendorem & incredibilem elegantiam atque mirificum ornatum nihil reliqui eſſe videbatur, omnia ſimili amentia vaſtarunt & conquâſſarunt, atque conciderunt: nec alijs eius oppidi ſacris ædibus & monaſterijs licuit conſceleratas impiorum hominum manus effugere. *Buſcoducenſes iconoclaſtæ.*

XXIII Auguſti Gandaui ſimile bellum indictum eſt ſtatuis & imaginibus: & poſtridiè apud Valencenas & Tornacum. Ab ijs omnibus, ſicut & Buſcoducenſibus, etiam in ſanctorum RELIQVIAS & ipſam SS. Euchariſtiam, atque etiam magnatum quorundam ſepulchra ſæuitum eſt, ſpe obtinendi cuiuſdam theſauri, Et *Gandaui &c. ſæuitũ in Reliquias &c.*

ri, Et

ri. Et Tornaci quidem magna vis auri & argenti quoque, nisi fallor, reperta est.

Constantiæ in Alemannia sacra lipsana corporis S.Conradi in lacum Acronium fuisse proiecta ab hæreticis, recepta & communis opinio est; non omnia ossa tamen huius sacri corporis interierunt, cum passim particulæ de illis inueniantur. Non ita multis abhinc annis, opera D.Ioannis Pistorij, caput S.Conradi, ex Boëmia Constantiam fuit relatum, de quo etiam per illustri VVeingartensi cœnobio dens vnus fuit donatus.

Verisimile est etiam in direptione Monasterij Sangallensis, cum loculus S. Galli (qui erat admirandi pretio & artificio operis, ex auro, argento, & cupro inaurato vnionibus & margaritis pretiosissimis ornato, ex ebore anaglyphico &c:) hæreticorum furore diriperetur, auro argentoque conflato, sacra pignora omnia in sarcophago reperta voraci flammæ fuisse tradita.

Plurima huiusmodi in Belgio, etiam alijs locis superioris Germaniæ, & Heluetijs perpetrata sunt, quæ breuitatis caussa prætereo, vnum hoc superaddendo, quomodo nimirum año M.D.LXXI. iidem Caluiniani Lusitanos in Brasiliam proficiscentes aggressi, ex eorum naui XXXVIII, è societate IESV crudeliter tru-

trucidârint: deinde Caput vnius è collegio ſacratiſsimarum vndecim millium Virginum ad carcheſij funem ſuſpenderint; imaginem quandam omni honore digniſsimæ matris DEI & Domini noſtri IESV Chriſti, qui iniurias Matris ſuæ & vult & poteſt egregiè vlciſci, cum alijs permultis ſacris imaginibus in quodam angulo nauis collocârint, & in eas ceu in ſcopum ſicas ſuas vibrârint. Porrò benedicta Roſaria & Sanctorum RELIQVIAS, libroſque Catholicos contemptim in vndas proiecerint.

Alia Caluiniſtarum iniuria in ſacras Reliquias & imagines.

Iidem claſsis præfecto Ioanne Cadauilio in Luſitanorum nauem quæ ſub Aloyſio Præfecto erat, inuadentes, eoſque occidentes, mox accurrunt ad Sanctorum RELIQVIAS & ſacras imagines, quarum illic ingens erat numerus, eas à Catholicis vi extorquent; trahunt per tabulata, conculcant pedibus, denique flammis exurunt, & immanes euomunt blaſphemias, quæ ſine horrore ſcribi non poſsint, in Sanctos, quorum illæ erant *Reliquiæ*.

Huiuſmodi ergò diſciplina proficiſcitur ex Caluini & Bezæ ſcholâ, & tam præclara facinora edere docet nouum Euangelium, vti ſequenti capite videbimus. Et nondum volunt intelligere miſeri mortales, quos duces præcepto-

resque sequantur? Si Turcæ & Tartari hæc fecissent, omnem impietatis & crudelitatis modum excessisse dicerentur: Iam verò ab illis hæc perpetrata sunt, qui se Euangelicos iactitant, cum sint quibusuis Turcis & Tartaris longè immaniores. Sanè Eunapius (b) Philosophus inimicus Christianorum, qui temporibus Constantini, & aliquot successorum vixit, tradit Alexandriæ, in qua vrbe templum Serapidis euersum conqueritur, adseruari solita à Christianis condita Martyrum capita, quos vt Sanctos colerent, ijsdem genua flecterent, ad illorum sepulchra se prosternerent, & eos se precum habere apud DEVM legatos profiterentur. Iam verò quis non indignetur ad scelera hæreticorum & indigna facinora, de quibus sequenti capite agemus

(b) In hist. Philos.

CAPVT IX.

CONTRA NOVATORES SANCTORVM RELIQVIAS impugnantes.

Reliquiæ sanctorum proscinduntur ab hæreticis.

INfinitum esset omnes enarrare, sufficiet, produxisse Centuriatores, qui pugnant etiam cum *Reliquijs* Sanctorum, & miraculis ad eas editis, vt animaduertat lector cruciari in illis tetros

illos

illos tenebrarum angelos, quibus pleni ſunt. Et hic quidem pectus ſuum egregiè, vt ſæpiſsimè alias produnt, dum Vigilantium hæreticum, haud obſcurè inter pios doctores numerare videntur, eumque de Martyrum ſuperſtitioſo, vt ipſi aiunt, cultu ac veneratione fortè benè & piè ſcripſiſſe dicunt, (a) porrò D. Hieronymum eius ſcripta parum firmis rationibus conuellere, magiſque conuicijs & importunitate, quam argumentis & rationibus ſuperare. Addunt verò (b) etiam S. Auguſtinum oſtendiſſe in Africa ſuo tempore ſuperſtitioſum & magnum multitudinis ad *Reliquias* S Stephani Protomartyris concurſum, dementatis populis quibuſdam illuſionibus, quæ pro miraculis habitæ ſunt. Nec his contenti, illud quoque adijciunt, (c) apud Theodoretum illud eſſe memorabile, has Martyrum *Reliquias* ethnicos nihili feciſſe, exiſtimantes ſe inquinari, ſi ad eorum ſepulcra accedant: quam illorum opinionem Theodoretus ibidem ait eſſe extremæ ignorantiæ & maximæ dementiæ. Poterant hæc ſufficere ad iſtorum oſtendendam inſaniam, quandoquidem & Vigilantius hæreticus laudem, & D. Hieronymus repræhenſionem apud illos habet, & quæ D. Auguſtinus (d) vt inſignia DEI miracula recitat, ea iſti omni

Bb 2 lachry-

(a) *Cent.* 4. *cap.* 8.

(b) *Cent.* 5. *c.* 7.

(c) *Cent.* 5. *cap.* 26.

(d) *De ciuit. Dei. lib.* 22. *cap.* 8.

lachrymarum fonte plangendi tenebriones volunt illusiones fuisse.

Tum postremò ethnicorum exemplum loculos Martyrum contemnentium, nobis opponunt, quasi iam ab ethnicis dæmonum cultoribus, quid nobis agendum sit, discere debeamus. Sed ipsi certè eò hoc protulerunt, vt boni omnes intelligant, eos dum Martyrum Reliquias contemnunt, ad ethnicorum esse deuolutos impietatem. Augustinus sanè apertissimè testatur, (e) facta suis temporibus multa miracula, (vti supra libro primo pluribus est dictum) DEO faciente per quos vellet, & quemadmodum vellet: eaque ita recenset, vt ea plurimùm velit habere ponderis ad confirmandam fidem nostram. Libet huc ex eodem Augustini loco breue adscribere miraculũ, vt istis stomachus moueatur. *Sanctimonialis quædam*, inquit, *cùm ægritudine laboraret, ac desperaretur, ad memoriam Stephani Martyris tunica eius allata est, quæ antequam reuocaretur, illa defuncta est. &c.* Sed vtcunq; insaniãt Centuriones, vel potius vtcunque in eis & cum eis torqueatur diabolus, qui vt olim per Eunomium & Vigilantium, ita nunc per eos ipsos Centuriones ridet Martyrum Reliquias, sunt tamen miracula hæc, quæ ab

(e) Ibidem.

Miraculum ex S. Augustino.

ab Auguſtino prolixè commemorantur, illius ipſius facta virtute, qui olim ad vmbram prætereuntis Petri curabat ægrotos omnes. (f) Non eſt autem magnoperè mirandum, quòd belliſsimi Euangelici noſtri Centuriones cum ſuis ſymmiſtis buccinatoribus ita debacchantur in miracula diuinitùs ad Martyrum & Sanctorum Reliquias, edita, cùm ſe cernant hac gratia, vt etiam omni vera virtute, adeò deſtitutos, vt nec vllum vnquam canem claudicantem reſtituere potuerint. Inuident igitur Catholicæ Eccleſiæ & eius clariſsimis membris ſanctis Martyribus, & eorum Reliquijs hanc efficaciam, & immani blaſphemia opera DEI non verentur atrociſsimè calumniari, & dæmonum illuſionibus ac figmentis tribuere homines planè profligati & perditi, qui non contenti vexâſſe Eccleſiam etiamnùm in terris militantem; etiam in illam iam cum Chriſto in cœlis fæliciſsimè triumphantem, ſuos ſtylos & blaſphemas linguas acuunt, habituri quandoque ampliſsimam mercedem tam nefariæ peruerſitatis.

(f) *Act.* 5.

Hæretici cur lacerent Sanctorum miracula.

Quàm enim eſt illa eorum intoleranda impudentia, quod ſcribere non verentur, totis quingentis à Chriſto annis nullum verum miraculum à ſancto aliquo poſt mortem editum reperire ſe potuiſ-

Impudentia hæreticorum.

tuisse, cùm tam multa vnus recitet Augustinus, quæ se certò sciuisse, quibusdam etiam præsentem interfuisse affirmat? vt alios grauissimos Patres & Scriptores omittamus, quos omnes isti videntur velle insimulare mendacij, quasi eadem vanitate fuerit Augustinus & alij sancti Patres, qua sunt isti egregij Centuriones, quos non pudet fortiter & insigniter mentiri.

(g) *Epist.* 85.

D. Ambrosius (g) præclarissima ad SS. Geruasij & Protasij Reliquias declarata miracula recitans, super quas etiam multa indumenta iactata ait, vt tactu ipso medicabilia reposcerentur, ita subiungit: *Gratias tibi Domine* IESV, *quod tales nobis SS. Martyrum spiritus excitasti, hoc potissimum tempore, quo Ecclesia tua, præsidia maiora desiderat.* Non adscribit ille, vt nostri stupidi Centuriones, Sanctorum miracula dæmonum illusionibus, sed pro ijs Christo gratias agit. Et rectè quidem ob tantam improbitatem in illos quadrare potest, quod de Arrianis idem dicit Ambrosius: (h) *Non aliter,* inquit, *eorum operibus inuiderent, nisi fidem in his fuisse, quam isti non habent, iudicarent, & fidem illam Maiorum traditione firmatam, quam dæmones ipsi negare non possunt.* Multa hic studiosè prætereo Centurionum

(h) *Serm.* 19.

nostro-

noſtrorum commenta & fraudes, quod nimis longum ſit omnibus annotandis immorari.

Multum etiam miſeros iſtos torquet Reliquiarum Sanctorum tranſlatio, quam more ſuo audacter vocant ſuperſtitioſam, & interim ipſi non ignorant, rem eſſe in Eccleſiæ vſu & praxi antiquiſsimam, nec tamen verentur cæci & miſeri dicere, (i) eam partim ex ethnica ſuperſtitione primum cœpiſſe, & mirum in modum mendacibus prodigijs & ſignis confirmatam, magis magiſque creuiſſe. Eſt hæc illis impietas cum impijs Porphyrio & Eunomio communis, vt miracula & ſigna diuinitus exhibita, præſtigias dæmonum eſſe calumnientur. *Translatio Reliquiarũ.* *(i) Cent. 4. c. 6.*

Supra retulimus (k) ex D. Hieronymi ſcripto contra Vigilantium, ſanctas Reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei ab Conſtantino Imperatore tranſlatas eſſe Conſtantinopolim, & apud eaſdem dæmones rugijſſe: ab Archadio quoque Auguſto Samuelis oſſa de Iudæa tranſlata in Thraciam, & Epiſcopos eius cineres in ſerico & vaſe aureo portaſſe. Habemus in his multiſque alijs celeberrimis exemplis Catholicæ Eccleſiæ morem antiquiſſimum, qui apud nos longe plus valere debet, quam innumeræ centurionum & ſimilium tenebrionũ calumniæ & blaſ- *(k) Lib. 1. c. 4.*

phemiæ. Eant illi in tenebras cum suis portentosis calumnijs, nos in Ecclesia Catholica Christum ducem & authorem sequimur, cuius spiritu scimus Ecclesiam regi, nec posse errare vnquam.

Hoc vero tamen obseruatu dignum est, multa ab istis Centurionibus diuinitus declarata miracula apud Reliquias & memoriam sanctorum totius ferè Europæ, vel silentio vel mendacio supprimi vel aboleri.

Miracula apud Reliquias Sanctorum.

Est in Sicilia templum Philippi, qui fuit Petri Apostoli discipulus, & ab illo missus in Siciliam, ad quod quotannis eo die, qui illi sacer est, multi à dæmonibus liberantur. Et expediret profectò, nostros quoque eò adduci Centuriones, si fortè abiecta perfidia liberari possent à malis dæmonibus, qui eos ad hæc & id genus alia conscribenda impellunt.

Anno salutis M. D. XLI. ducentæ penè fæminæ ad hoc templum expulsis tetris spiritibus curatæ sunt. Huius Philippi Centuriones isti nec mentionem quidem facere voluerunt.

In eadem Sicilia aliud templum est S. Viti longè celeberrimum, quod cùm inuisunt rabidi canis morsu infestati, cùrantur.

In Hispania celebris est memoria Iacobi Complutensis Franciscani. Huius meri-

meritis & intercesſione, vt ait Michaël Medina doctiſsimus Theologus, (l) varij ac deſperatiſsimi morbi frequenter pelluntur, adeò vt etiam Carolus, Catholici Hiſpaniarum Regis Philippi vnicus idemque chariſsimus filius, teſte eodem Medina, poſt omnium medicorum deſperationem, poſt totius regni mærorem, poſt regiæ domus luctus, ex capitis confractione penè à morte receptus ſit. Sed hæc noſtri Centuriones, aut non vident, aut præſtigias dæmonum eſſe ore impuro vociferabuntur, quorum incredibilem audaciam & immanem pectorum cæcitatem nemo vnquã ſatis & admirari & abominari poterit. Nam etiam inſignia illa miracula, quæ Euſebius teſtatur, (m) edita eſſe ad illam herbam, ad imaginem Chriſti, quæ apud Paneadem, à muliere, ſanguinis fluxu liberata, ſtatuta fuit, vſque adeò obſcurare non verentur, vt & herbam illam ſuperſtitioſam vocent, (n) & imaginem horrendo fulmine diſruptam ſceleratiſſimè mentiantur, cum eam quidem imaginem Iulianus apoſtata iuſſerit deijci, & ſuum in eius locum ſimulacrum ſubſtitui, quod mox ignis cœlitùs immiſſus ita diiecit, vt collum atque pectus à reliquo corpore auulſerit: porrò Chriſti imago, quam ille ſceleſtus ſuo loco mouerat, à

(l) *De recta in Deum fide lib. 2. c. 8.*

(m) *Lib. 7. cap. 18.*

(n) *Cent. 4. cap. 13.*

Christianis in templum translata est, vt istos impudentissimos nugatores tam turpis mendacij meritò æternùm pudere debeat: quemadmodum & immanis blasphemiæ, quòd Christi beneficia per illam herbam, curandis morbis omnibus efficacissimam exhibita, ad superstitionem trahere non dubitant: quanquã ne insigne hoc de Christi fulminata imagine mendacium ipsi cõfinxisse videantur, nouo mendacio eius rei testem citãt Sozomenum, cuius alioqui vilis apud illos authoritas est, qui tamen nihil huius habet. O viros Euangelicos, ô fidissimos historiæ Ecclesiasticæ scriptores.

Eat iam Lector, & in scribendis historijs eos bona fide versari sibi persuadeat, quos neque piget, neque pudet tam profligatæ vanitatis. Tales sunt nostrorum temporum, historici Euangelici.

Sed nos omissis hisce blatteronibus, cum vniuersali Christi Ecclesia, eiusque Doctoribus & Patribus vniuersis Sanctorum Reliquias venerantes, honore ac cultu debito prosequamur, atque huic operi finem imponẽtes, easdem demisse salutemus, non nostris, sed viri cuiusdam * religiosissimi verbis:

* *P. Francisci Borgiæ S. I. generalis 3.*

CON-

CONCLVSIO.

SAluete pignora nobis in hoc exilio, lachrymarumq́; valle degentibus à Deo relicta, atque deposita: Saluete salutis nostræ spes, atque solatium. Erit, erit dies illa, cùm decorem induti cineres, hospites nunc beati, æternâ illâ luce perfruemini, & animæ sole candidiores, thronusq́; vester supra firmamentum clarescent.

LAVS DEO, VIRGINI DEIPARÆ, OMNIBVSQVE COELI CIVIBVS.

PRO-

PROFESSIO AVCTORIS.

QVÆCVNQVE HIC ET ALIBI SCRIPSI; EA CVNCTA S. A. *ET* C. R. *ECCLESIÆ IVDICIO, ET PIORVM THEOLOGORVM CENSVRÆ SVBIICIO: SI QVID IGNARO ELAPSVM, QVOD ECCLESIÆ MINVS PROBETVR, IMPROBO, DAMNO, ET PRO NON SCRIPTO HABERI VOLO.*

F. CAROLVS STENGELIVS ORDINIS SANCTI BENEDICTI.